

CONSILIO AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM  
DE SACRA LITURGIA

---

# NOTITIAE



7-8

IULIO-AUGUSTO 1965

---

CITTÀ DEL VATICANO - PALAZZO SANTA MARTA

# NOTITIAE

7-8

Commentarii ad nuntia  
de re liturgica edenda cura  
*Consilii*  
*ad exequendam Constitutionem*  
*de sacra Liturgia*

« Notitiae » prodibunt die 15 cuiusque mensis. Libenter, iudicio Directionis, nuntium dabitur Actorum, inceptum, editionum in re liturgica, praesertim e Coetibus Episcoporum vel Commissionibus liturgicis nationalibus emanantium, si scriptorum vel periodicorum exemplar missum fuerit.

*Directio:* Commentarii sedem habent in Civitate Vaticana, Palazzo S. Marta, ad quam transmittenda sunt epistolae, chartulae, manuscripta, his verbis inscripta:  
**NOTITIAE, Città del Vaticano**

*Administratio autem residet apud  
Libreria Editrice Vaticana  
Città del Vaticano*

Pro commentariis  
sunt in annum solvendae:  
in Italia lit. 2.000  
extra Italiam lit. 3.000 (\$ 5)

Singuli fasciculi veneunt:  
in Italia lit. 200 (\$ 0,35)  
extra Italiam lit. 300 (\$ 0,50)  
In Italia pecunia mittenda est per  
c/c/p N. 1-16722

**TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS**

## SUMMARIUM

Epistola Secretariae Status Novi Sodales « Consilii » . . . . .	193
Acta Consilii . . . . .	194
De unica interpretatione liturgica populari in linguis pluribus in locis usitatis . . . . .	194
De popularibus interpretationibus Proprietorum dioecesum et religiosarum familiarum . . . . .	196
Summarium Decretorum quibus deliberationes Coetuum Episcoporum confirmantur . . . . .	199
Conventus de popularibus interpretationibus . . . . .	203
Labores Coetuum a studiis De lectionibus biblicis Breviariorum (Can. A. G. Martin-mort) . . . . .	206
De lectionibus patristicis in Breviario (Mons. Michaël Pellegrino) . . . . .	209
De hymnis Breviariorum (P. Anselmus Lentini, O.S.B.) . . . . .	213
De cantibus Officii (P. Pelagius Visentin, O.S.B.) . . . . .	213
Sacra Congregatio Rituum Rubricae in Missali romano emendandae . . . . .	213
De Offertorio ritus Ambrosiani . . . . .	219
Actuositas Coetuum Episcoporum . . . . .	
Libri liturgici officiales: Canada, Argentina . . . . .	221
De sectione studiorum in Instituto Liturgico Trevirensi mox aperienda (Germania) . . . . .	222
De primis gressibus instauracionis liturgicae: Anglia et Cambria, Cecoslovachia, Dania, Finnia, Helvetia, Hibernia, Hungaria, Melita, Suecia, Ceylon, Corea, Formosa, Indonesia, Africa septentrionalis (Algeria, Marocus, Tunisia), Zambia, Honduras, Panama . . . . .	223
Documentorum explanatio . . . . .	250
Bibliographica . . . . .	255
Illustrationes extra textum: 208-209; 240-241	



DAI VATICANO 14 Iunii 1965

DI SVA SANTITA'

N. 48975

Rev. me Pater,

Haud ita pridem ad Augustum Pontificem primus commentariorum libellus pervenit, qui "Notitiae" inscribuntur, quique ab isto Consilio ad exsequendam Constitutionem de Sacra Liturgia nobiliore hac forma singulis mensibus edi coepiti sunt.

Sincero cum oblectamento Sanctitas Sua donum exceptit, quod egregio Ipsi fuit testimonio navitatis atque sollertiae istius Consilii vestri; atque sive sapientiae plena verba legit, per quae Em. mo Card. Iacobus Lercaro ad eosdem commentarios veluti proemiatus est, ut eorum rationes et proposita exponeret, sive Decretorum simul collectorum summarium illic editum perpendit, quibus Episcopalium coetuum ex universo fere terrarum orbe deliberationes de re liturgica confirmatae sunt.

Dum igitur de huiusmodi incepto vobis admodum gratulatur, Christi Vicarius superna auxilla vestris laboribus deprecatur uberrima, quae animum vobis addant ad susceptum iter digne fructuoseque prosequendum; atque caelestium munerum conciliatricem, Suaeque propensae voluntatis testem Beatis simus Pater eidem Em. mo Cardinali Iacobo Lercaro, Consilii Praesidi, simulque tibi omnibusque operam Consilio navantibus Apostolicam Benedictionem permanter impertit.

Interea, me ea qua par est observantia profiteor

Tibi addictissimum

Rev. mo Patri  
P. HANNIBALI BUGNINI C. M.  
Consilii ad exsequendam Constitutionem de  
S. Liturgia a Secretis

*+ A. Pele Dux  
Subst.*  
Urbem Vaticanam

## NOVI SODALES « CONSILII »

Die 1 iunii 1965 (Prot. N. 48544), Beatissimus Pater Paulus VI benignissime nominavit sequentes novos « Consilii » Sodales:

Em.mum Card. GULIELMUM CONWAY, Archiepiscopum Armachanum (Hibernia).

Exc.mum DD. DIONYSIUM HURLEY, Archiepiscopum Durbanianum (Africa Australis).

Exc.mum DD. THOMAM CLAVEL MENDEZ, Archiepiscopum Panamensem (America Centralis).

Exc.mum DD. VINCENTIUM ENRIQUE Y TARANCON, Archiepiscopum Ovetensem (Hispania).

Exc.mum GEORGIUM P. DWYER, Episcopum Loidiensem (Anglia).

Cum his novis Membris, 43 sunt « Consilii » Sodales: 11 Em.mi Cardinales; 30 Exc.mi Episcopi; 2 non Episcopi.

## Acta Consilii

### DE UNICA INTERPRETATIONE LITURGICA POPULARI IN LINGUIS PLURIBUS IN LOCIS USITATIS

*Die 16 octobris 1964, Praesidibus Coetuum Episcoporum regionum quae linguam adhibent communem cum aliis, nempe anglicam, gallicam, germanicam, hispanicam, italicam, lusitanam, neerlandicam, missae sunt litterae quae infra habentur.*

*Mens enim « Consilii » est ut pro huiusmodi linguis, unicus statuatur textus liturgicus, quo facilior reddatur fidelium participatio in sacris ritibus.*

*Quidan Coetus Episcoporum statim inceptus ad rem deduxerunt; alii, etsi modo simul agere non potuerunt, statuerunt hoc facere in instaurazione liturgica generali. Interea mixtae nominatae sunt Commissiones inter diversas Conferentias nationales, quarum interest, ut unica popularis translatio praepareatur, quae diversorum populorum exigentiis et menti respondeat.*

*Superfluum est dicere supradictas expressiones linguisticas non esse omnes, quae hanc necessitatem habeant: aliae linguae exstant, quibus idem iter terendum esset. Ex hac ratione haec normae nunc publici iuris sunt ut pro omnibus casibus apprime accommodentur et applicentur.*

Excellentissime Domine,

Consilium ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia, compilatum Coetum Episcoporum Acta ad rem liturgicam spectantia « confirmando », attentionem saepius posuit ad peculiarem et aliquando graviorem difficultatem, quae exoritur ex ampliore parte quam Constitutione tribuit linguae vernaculae in Liturgia.

Nam, dum saecularis unitas linguae liturgicae labitur, et simul cum lingua latina variae populorum linguae existere incipiunt, bene providendum est ne ipsa spiritualis et pastoralis efficacia Liturgiae in discrimen adducatur. Transitus enim ad novam rerum condicionem debita cum gradualitate et prudentia faciendus est.

Qua de causa, « Consilium » hac in re mentem suam aperire cupit circa peculiarem quaestionem de popularibus interpretationibus in regionibus eiusdem linguae. Mens enim « Consilii » est ut his in regionibus unitas textuum, qui lingua vernacula in Liturgia dicendi sunt, servetur: minus enim probandae videntur multiplices interpretationes, textus et editiones pro una eadem lingua, praesertim e maioribus, uti v. gr. Anglica, Gallica, Germanica, Hispanica, etc. Quod certo et gravitati ipsius textus et dignitati librorum liturgicorum officeret.

Hoc desiderium « Consilii », Excellentissime Domine, animo fidenti Tecum communico, ut illud velis Exc.mo Praesidi Commissionis Liturgicae apud Coetum Episcoporum Tuae Nationis significare, quo opportuniore modo, per personam competentem, consilium ineatur cum Coetibus Episcoporum, quorum interest, ut laudabiliter iam factum est quibusdam in casibus.

Gratissimum erit « Consilio » si Tu, Excellentissime Domine, quamprimum noticias circa exitum huius suggestionis humaniter ad Secretariam eiusdem « Consilii » transmiseris, difficultates forte exortas indicando, ut, si casus fert, subsidium ad illas solvendas praestari possit.

Interea omnia fausta Tibi a Deo adprecor, atque, omni quo par est obsequio, me profiteor

Excellentiae Tuae Reverendissimae  
addictissimum

IACOBUM Card. LERCARO  
*Praesidem*

## DE POPULARIBUS INTERPRETATIONIBUS PROPRIORUM DIOECESIUM ET RELIGIOSARUM FAMILIARUM

Die 2 iunii 1965, « Consilium » misit omnibus Praesidibus Coetuum Episcoporum (174) *Instructionem* quandam circa Propriorum cuiusvis Dioecesis populararem interpretationem. Epistola, quae *Instructionem* comitabatur, aiebat:

« E.me Domine, Pergratum mihi est Tibi transmittere, de mandato E.mi “ Consilii ” Praesidis, exemplar *Instructionis* “ De popularibus interpretationibus Propriorum Dioecesium et Religiosarum Familiarum ”.

Humanissime autem Te rogare audeo, E.me Domine, ut hanc *Instructionem*, aptiore quem aestimaveris modo, singulis Episcopis Tuae Nationis comunicare velis.

Placeret enim ut intra proximos *sex menses* “ Propria ” particularia huic “ Consilio ” subiciantur ad opportunam probationem seu confirmationem obtinendam ».

Eadem *Instructio* missa est Superioribus generalibus omnium Familiarum religiosarum (159), ut eam communicarent « aptiore quem aestimaveris modo, Superioribus Ordinariis cuiusque Provinciae Tuae Communitatis ».

Spatium *sex mensium* videri potest nimis breve. Attendantur tamen: 1) die 15 maii 1912 S. C. Rituum ad locorum Ordinarios et Praepositos generales Religiosorum litteras circulares scripsit pro instauratione « Propriorum », et spatium praestituit *triginta annorum*: post quadraginta annos nova rubricalis instauratio perficiebatur, et quaeradum « Propria » adhuc Pianam revisionem exspectabant ... 2) cum hic agatur praesertim de textibus Missae, qui, ut in pluribus, iam in *parvis missalibus* exstant, labor ipse non multum tempus insumere potest; 3) *necessitas* urget, cum de facto hi textus ad altare adhi-

beantur in Missis pro populo, et proinde legitime et rite translati et approbati esse debeant; 4) tantus est fervor liturgicus in omnibus orbis partibus, ut absque dubio translationes *ante praefinitum tempus* absolvantur!

Popularibus interpretationibus Missalis et Breviarii romani pro singulis Nationibus confirmatis, iuxta textus a Coetibus Episcoporum approbatos, restat ut et interpretationes populares Propriorum cuiusque dioecesis vel familiae religiosae Apostolicae Sedis confirmationi proponantur.

Cum autem saepius ab hoc « Consilio » quaeratur quanam ratione sit hac in re procedendum, opportunum videtur sequentes praebere normas:

1. Usus linguae vernaculae in Propriis dioecesanis vel familiarum religiosarum subiacet limitibus a Coetibus Episcoporum pro unaquaque Natione legitime statutis, et ab Apostolica Sede probatis seu confirmatis (Const., art. 36, § 3).

2. Interpretatio popularis Proprii dioecesis vel familiae religiosae paranda et approbanda est, ad mentem eorum quae in n. 88 *Instructionis* diei 26 septembris 1964 habentur, « a respectivis Ordinariis eiusdem linguae ». Proinde:

a) si agitur de Propriis dioecesanis, ab Episcopo, vel Episcopis, quorum interest;

b) si agitur de Proprio familiae religiosae, a Superioribus Maioribus regionum eiusdem linguae.

3. In interpretatione populari exaranda, ea serventur, congrua congruis referendo, quae in n. 40 memoratae *Instructionis* habentur.

4. Ut in qualibet Natione uniformitas, quantum fieri potest, in textibus liturgicis, habeatur:

a) partes Proprii, quae etiam in textibus lingua vernacula conversis et ab Episcoporum Coetu approbatis atque ab Apostolica Sede confirmatis inveniuntur, ex his sumantur. Ita, ex. gr., partes e Communi vel Proprio Breviarii aut Missalis derivatae, ponantur iuxta popularem interpretationem pro universa Natione iam approbatam; item lectio-nes, si Coetus Episcoporum aliquam popularem interpretationem Sacrae Scripturae ad usum liturgicum approbavit, ex hac sumantur; formulae aliquae Ritualis, quae in textu a Coetu Episcoporum approbato inveniuntur, ex hoc deriventur, et ita porro;

b) partes item quae pluribus dioecesis vel familiis religiosis forte sunt communes, communis consilio parentur, iis servatis, quae supra dicuntur.

5. Textus qui uni tantum ecclesiae sunt proprii, a respectivo Ordinario approbari debent.

6. Interim, scilicet donec interpretatio popularis magis perfecta conficiatur, assumere licet etiam textus apud fideles iam usitatos: qui tamen, ut ad usum liturgicum adhiberi possint, Apostolicae Sedis probatione seu confirmatione indigent.

7. Ad confirmationem obtainendam, textus, ab Episcopo si agitur de Proprio dioecesano, aut a Supremo Religionis Moderatore si agitur de Proprio familiae religiosae, duplice exemplari mittantur « Consilio ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia », addita brevi relatione circa criteria, quibus opus interpretationibus innixum est (cf. *Instructionem*, nn. 29 et 30).

8. Textus tunc tantum evulgentur et in usum deducantur, cum ab Apostolica Sede probati seu confirmati fuerint.

*In transmittendis textibus pro confirmatione haec notentur:*

1. *Citationes e Sacra Scriptura exactae et completae sint.*
2. *Terminologia adhibeatur a rubricis statuta sive recentior (e. gr. super oblata) sive tradita (v. gr. graduale, et non cantus meditationis).*
3. *Textus fideliter reddantur lingua vernacula, etsi iuxta criteria data ab Instructione, n. 40.*
4. *Pro confirmatione duo exemplaria mittantur ad « Consilium » interpretationis popularis, una cum textu latino.*
5. *Una cum textibus addatur relatio, ad normam Instructionis n. 30.*
6. *Textus Propriorum familiarum religiosarum ad « Consilium » mittantur per Procuratorem Generalem cuiusque Ordinis vel Congregationis.*

SUMMARIUM DECRETORUM  
QUIBUS DELIBERATIONES COETUUM  
EPISCOPORUM CONFIRMANTUR  
(a die 1 ad 30 iunii)

EUROPA

---

Albo-rutheni extra patriam degentes

I. Documenta: 9 iunii 1965 (Prot. n. 2816/65)

II. Lingua vernacula quae adhiberi potest: albo-ruthena

III. Partes quae lingua vernacula proferri possunt:

IN MISSA: iuxta decretum typicum, addita praefatione.

IV. Interpretationes populares adhibendae: pro Ordinario Missae, quae in libro *Holas Dusy* invenitur; confirmatur etiam textus Missae de Ss.ma Trinitate.

Anglia

V. Decreta particularia:

2. Ordinis Fratrum Carmelitarum (10 iunii 1965, Prot. n. 418/65): confirmatur interpretatio anglica Ritualis Vestitionis, Absolutionis Generalis et Benedictionis papalis pro Tertio Ordine.

Gallia

V. Decreta particularia:

13. Baionensis (23 iun. 1965, Prot. n. 2914/65): confirmatur versio vasconica Missarum pro dominicis post Pentecosten et post Epiphaniam, pro feriis quattuor temporum septembbris, pro festis SS. Petri et Pauli et Assumptionis B. M. V.

## Graecia

I. Documenta: 4 iunii 1965 (Prot. n. 2524/65)

III. Partes quae lingua vernacula proferri possunt:

1. IN MISSA: orationes

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA: interpretatio Epistolarum et Evangeliorum (pars II).

## Italia

V. Decreta particularia:

12. Cremonensis (4 iunii 1965, Prot. n. 2808/65): confirmatur interpretatio italica Proprii dioecesani Missarum.

13. Clavarensis (28 iun. 1965, Prot. n. 2939/65): confirmatur versio popularis Proprii Missarum dioeceseos.

## Iugoslavia

V. Decreta particularia:

3. Baciensis (10 iunii 1965, Prot. n. 2833/65): confirmatur manuale rituum, cui nomen est *Prirucni Obrednik*, linguis croatica et hungarica exaratum.

---

## ASIA

---

## India

I. Documenta: 9 iunii 1965 (Prot. n. 2794/65)

IV. Interpretationes populares adhibendae:

c) Lingua bengali:

Ordinarium Missae

**V. Decreta particularia:**

4. **Belgaumensis** (23 iun. 1965, Prot. n. 2906/65): confirmatur interpretatio Concandi Ordinarii Missae, quae in opusculo *Misachi Bhett* continetur.

**Vietnam****V. Decreta particularia:**

1. **Ordinis Praedicatorum** (16 iun. 1965, Prot. n. 2863/65): confirmatur interpretatio popularis aliquarum partium Ordinarii Missae iuxta ritum O. P.

**AFRICA**

---

**Zambia**

**I. Documenta:** 10 iunii 1965 (Prot. n. 2827/65).

**IV. Interpretationes populares adhibendae:****2. RITUALIA:****d) Lingua mambwe:**

Textus propositus a Coetu Episcoporum.

**AMERICA**

---

**Bolivia**

**I. Documenta:** 16 iun. 1965 (Prot. n. 2857/65)

**III. Partes quae lingua vernacula proferri possunt:****1. IN MISSA: praefatio**

**IV. Interpretationes populares adhibendae:**

1. **MISSALIA:** Interpretatio popularis, quae in parvis missalibus pro Chilia approbatis invenitur.
2. **RITUALIA:** In Sacramentis Paenitentiae et Confirmationis, et in Exsequiis, versio pro Chilia approbata.

---

**OCEANIA**

---

**Nova Guinea****I**

**I. Documenta:** 16 iun. 1965 (Prot. n. 2855/65)

**II. Lingua vernacula quae adhiberi potest:** Witu, Imbongu, Kewa et Mendi.

**IV. Interpretationes populares adhibendae:**

1. **MISSALIA:** pro Ordinario, textus a Coetu Episcoporum propositus.

**II**

**I. Documenta:** 23 iun. 1965 (Prot. n. 2926/65)

**II. Lingua vernacula quae adhiberi potest:** Anglica et Pidgin.

**III. Partes quae lingua vernacula proferri possunt:**

1. **MISSA:** praefatio

**IV. Interpretationes populares adhibendae:**

1. **MISSALIA:**

**Lingua anglica:** versio praefationum quae in parvis missalibus iam debite approbatis exstat.

**Lingua pidgin:** textus Ordinarii Missae cum praefationibus a Coetu Episcoporum propositus, necnon partes Proprii pro diebus dominicis et festis.

---

## 2. RITUALIA:

Lingua pidgin: parvum Rituale.

### Samoa et Tokelau Insulae

I. Documenta: 23 iun. 1965 (Prot. n. 2896/65)

II. Lingua vernacula quae adhiberi potest: Samoana.

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA: pro Ordinario, textus a Coetu Episcoporum propositus.

### Decreta, quibus confirmantur interpretationes populares praefationum in Missa

Africa Meridionalis, die 4 iunii 1965 (Prot. n. 2806/65): confirmatur versio anglica, quae in parvo missali *St. Andrew's Bible Missal* iam debite approbato exstat; necnon confirmantur versiones linguis localibus exaratae, quae in textibus debite approbatis habentur.

Nova Zelandia, die 4 iunii 1965 (Prot. n. 2501/65): confirmatur versio anglica, quae in parvo missali *Layman's Daily Missal* iam debite approbato exstat.

### CONVENTUS DE POPULARIBUS INTERPRETATIONIBUS

Die 15 aprilis 1965 E.mis Praesidibus Commissionum liturgicarum Nationalium communicatum fuit mentem esse « Consilii » celebrare, durante proxima Sessione Concilii Oecumenici, coetum eorum qui partem habent in popularibus interpretationibus exarandis.

« Consilium » ipsum, in V Sessione plenaria, sub finem mensis aprilis elapsi habita, incepit late approbavit, et *Comitatum* constituit organizativum, compositum ex Sodale ipsius Consilii, Exc.mo D. Renato BOUDON, Episcopo Mimatensi, Praeside Commissionis Liturgicae Galliae, et ex quinque Peritis, nempe: P. Adalberto FRANQUESA, OSB (Hispania), Prof. Friderico McMANUS (USA), Mons. Iosepho PA-

SCHER (Germania), P. Aymone M. ROGUET, OP (Gallia), P. Iosepho SOBRERO, SDB (Italia).

Comitatus una cum Secretaria « Consilii » Conventus programma delineavit, quod Em.mi Cardinalis Iacobi Lercaro, eiusdem « Consilii » Praesidis, amplissima approbatione munitum, placet nunc nuntiare.

### 1. Finis Conventus

Primae interpretationes vernaculae textuum liturgicorum quasdam induxerunt *experientias*, sive circa *opus interpretationis*, sive circa usum textuum liturgicorum.

Conventus occasionem praebet experientias, difficultates, et personales ideas « operariorum » interpretationum una simul colligere et comparare, ut quaedam communia criteria ad laborem prosequendum inveniantur, praesertim cum novi textus liturgici linguis vernaculis erunt reddendi.

### 2. Participantes

Cum agatur de Conventu « peritorum », solummodo quidam selecti qui in subiecta materia « interesse » habent, participare possunt, nempe:

a) Praesides Commissionum liturgicarum nationalium, vel eorum delegati.

b) Membra Commissionum liturgicarum.

c) Periti, qui adlaborant vel adlaboraverunt in exarandis textibus popularibus.

d) Unus aliasve repraesentans cleri, pastorali curae animarum addicti.

e) Laici (sive viri sive foeminae) qui partem habuerunt in interpretationibus exarandis.

f) Unus aliasve exegeta in quaestionibus biblicis connexis cum re liturgica apprime versatus.

g) Unus aliasve in re musica peritus, pro his quae cum cantu sacro connexionem habent.

Hi omnes *designari debent* a Praeside Commissionis Liturgicae Nationalis; quod constare debet in documento participationis.

### 3. Dies et locus

Conventus celebrabitur Romae, diebus 9-13 *novembris* 1965.

Ulteriores determinationes quamprimum communicabuntur.

**4. Programma generale****DIE 9 NOVEMBRIS (FERIA III) VESPERE****Salutationes.**

1. De lingua vernacula relate ad actuosam participationem. Conditiones translationis authenticae et pastoralis.

**DIE 10 NOVEMBRIS (FERIA IV) MANE**

2. De labore usque nunc peracto (synthetice): methodus et potiores difficultates (cum communicationibus).

3. De difficultatibus in locis missionum praesertim quoad linguam christianam inducendam.

**Coetus particulares (*carrefours*)****DIE 10 NOVEMBRIS (FERIA IV) VESPERE**

4. Da habitu translationis ad traditionem.

5. De generibus litterariis et eorum momento pro interpretatione et translatione textuum necnon pro usu liturgico.

**DIE 11 NOVEMBRIS (FERIA V) MANE**

6. De historia translationum in antiquitate, apud orientales, in locis missionum.

7. De aliquibus difficultatibus in Ordinario Missae.

**Coetus particulares (*correfours*)****DIE 11 NOVEMBRIS (FERIA V) VESPERE**

8. De latinitate christiana. De lingua christiana evolvenda et inducenda (distinguendo regiones culturae christiana et regiones missio- num).

9. De methodo elaborandi translationes.

**DIE 12 NOVEMBRIS (FERIA VI) MANE**

10. De stylo linguae liturgicae.

11. De problematibus editionis.

**DIE 12 NOVEMBRIS (FERIA VI) VESPERE**

12. De translatione relate ad evangelizationem, catechesim et homiliam.

13. De problematibus translationis relate ad cantum.

**DIE 13 NOVEMBRIS (SABBATO) MANE**

14. De influxu translationis in liturgicam reformationem et in celebrationem.

Syntesis et vota Congressus.

**5. Cooperatio participantium**

Comitatus organizativus laeto animo excipiet *suggestiones et vota* sive quoad programma Conventus, sive quoad opus interpretationum, praesertim ex parte E.morum Praesidum Commissionum liturgicarum Nationalium.

**6. Aliae adnotations**

*a)* Sequentibus mensibus, omnibus inscriptis *notitiae* utiles circa Conventum communicabuntur.

*b)* Inscriptiones mittantur ad « Conventum Interpretationum ». Consilium. Palazzo S. Marta. Città del Vaticano.

*c)* Pro expensis (itineris, commorationis, etc.) et ad inveniendam commorationem in Urbe, singuli seipsis provideant oportet.

**LABORES COETUUM A STUDIIS****De lectionibus biblicis Breviarii**

(Can. A. G. Martimort)

Ad normam art. 92 *a* Constitutionis de Sacra Liturgia, « lectio sacrae Scripturae ita ordinetur ut thesauri verbi divini in pleniore amplitudine expedite adiri possint », et art. 89 *c*, « Hora quae Matutinum vocatur... e psalmis paucioribus lectionibusque longioribus constet ». Coetus a studiis 4 « Consilio » aliquot quaestiones proposuit, quae a Patribus favorabiliter exceptae sunt.

**1. DE LECTIO BIBLICA OMNI DIE**

De hoc principio consenserunt omnes: nullus dies sit sine Scriptura.

**2. DE LONGITUDINE LECTIUM**

Periti tanquam principium admiserunt ut augeretur in lectionibus quod minuitur in psalmis. Ita lectiones poterunt quasi eandem longitudinem habere quam novem lectiones de Scriptura currente in hodierno breviario. Exemplum tamen sumendum non est a lectionibus olim secundi vel tertii nocturni breviarii romani, quae erant fusiores.

### 3. DE INTEGRITATE TEXTUS

Propter duplicationes occurrentes vel ob nimiam prolixitatem aliquando vitanda non videtur abbreviatio pericopae. Res non est nova, cum simile quid invenitur in libris liturgicis, tum antiquis, tum modernis (in Breviario e. gr. Commune Confessoris non Pont.; Commune festorum B. Mariae V.; Officium defunctorum; festa S. Ioseph, S. Ioannis B. e. a.). Patet per abbreviationem aspectum bibliicum essentialiem vel difficultatem textus eliminandam non esse. Item interruptio ne fiat magna. De abbreviatione insuper lector per tria puncta (...) vel alio modo certior fiat.

### 4. DE RELATIONE INTER LECTIOINES IN MISSA ET IN OFFICIO

Duae adsunt quaestiones de hac re.

*a)* Lectio Sacrae Scripturae in Liturgia, habetur in Missali et in Breviario. At ratio distributionis inter duos libros non est eadem. In Missali enim, iuxta traditionem, potius libri Novi Testamenti habentur, et in Breviario libri Veteris Testamenti. Insuper in novo ordine lectionum conficiendo, attendendum erit etiam, ad Missam quod attinet, ut textus elegantur sive ex Vetere sive ex Novo Testamento qui fidelibus mysterium salutis opportune praebere possint. Consentaneum ergo videtur ut distributio totius Sacrae Scripturae a Lectionario Missae incipiat, ita ut lectio divina in Missa sit quasi fundamentum, et lectio divina Breviarii sit quasi ipsius completiva. Nam lectiones Missae ad universum fidelium coetum diriguntur, dum lectiones Breviarii sunt potius pro clero et quadam parte selecta totius plebis christianaee.

*b)* Si prima lectio Veteris Testamenti restauratur in Missa, sed tantum facultative, periculum adest ne proprie istae pericopae nunquam legantur: deessent propter admissum principium «subsidiarrietatis», in Breviario, quia exstant in Missali; non legerentur in Missa, quia facultativae. Inde exsurgit quaestio, num in hoc casu decisio «Consilii» supra citata valeat, scilicet lectiones Officii debere esse completivas lectionum Missae.

Placuit Patribus eas pericopas Veteris Testimenti quae in Lectionario Missae sunt inserenda, etiam in Breviario recipiendas esse, si in Missali erunt tantum facultativae.

### 5. DE CONTINUITATE LIBRORUM

In genere servanda videtur semi-continuitas lectionum (*Bahnlesung*). Aliquando vero optanda est mutatio in ordine capitulorum vel versuum, ut narratio in una eademque pericopa completa fiat. Immo interdum ad intelligendum melius tramitem narrationis inseri poterit in cursu unius libri, e. gr. Regum, capitulum correspondens alias libri, e. gr. Paralipomenorum. Certo pericopae singulae tantum ex uno libro desumenda sunt. Nulla ergo « centonizatio » ex diversis libris habebitur (« tesi a mosaico »; sicut fit in multis responsoriis et quidem legitime).

### 6. DE RESPONSORIIS

Supposito quod responsoria servanda sint, etiam in recitatione a solo facta, — quod omnibus sodalibus placuit, — finis responsoriorum videtur triplex:

- a) vel repetitur aliquod incisum ipsius libri, a quo lectio sumitur, ut resonet in mentibus. Sic usque nunc plerumque in Breviario;
- b) vel transformatur lectio in precem, sicut etiam non tam raro habetur in Breviario (e. gr. *Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam* post lectiones sapientiales);
- c) fiat transitus a Vetere Testamento ut Verbum divinum lectionis resonantiam obtineat in prophetis, in psalmis vel in Novo Testamento aut ibidem ulteriorem realisationem accipiat. Etiam responsoria historica inserviunt ad sublineandam ideam particularem lectionis et momentum aliquod historiae salutis.


Ita placuit Patribus responsoria etiam nova parari, adhibita scientia biblica et secundum criteria supra exposita, ad augendum fructum lectionis spiritualem.

### 7. DE LECTIONE IN VESPERIS

Periti censuerunt lectionem longiorem tunc solum proponendam esse, quando cum populo Vesperae celebrantur; secus capitulum breve retinendum esse, cavendumque esse, ne confundantur Vesperae, quae sunt et remanere debent oratio vespertina, cum iis Verbi celebracionibus quae in art. 35, 4 Constitutionis conciliaris commendantur.

Placuit in Vesperis servari capitulum pro clero; pro populo autem facultatem esse recitandi lectionem longiorem, de qua homilia habeatur.





## 8. DE LECTIONE IN COMPLETORIO

Peritis haud opportunum visum est proponere lectionem longiorem in Completorio, loco lectionis brevis inserendam, quae recollectioni faveat secundum consuetudinem plurimorum monasteriorum, ubi sive in claustro, sive in ecclesia ante Completorium legitur aliquis auctor spiritualis. Etiam in traditione monastica, lectio ista non est nisi continuatio lectionis, quae fit durante collatione.

### De lectionibus patristicis in Breviario (Mons. Michaël Pellegrino)

Ad normam art. 92 b *Constitutionis*, « lectiones de operibus Patrum, Doctorum et Scriptorum ecclesiasticorum depromenda melius seligantur ».

Satis constat, pericopas patristicas quae usque ad novum codicem rubricarum in Breviario legebantur — nam hodie fere evanuerunt — hodiernis exigentiis parum respondere. Non pauci Patres et scriptores nullum locum obtinent, aliorum vero vox vix in Breviario auditur qui sanctitate et doctrina eminent. Multae pericopae ea quae in Patribus minoris sunt momenti praebent, omissis textibus longe paeferendis. Non videtur igitur sufficiens ut quaedam emendentur, sed totam rem funditus investigari oportet. Ideo necessarium est opera Patrum et scriptorum ecclesiasticorum pervestigare, ut ea inveniantur quae criteriis mox elucidandis respondeant.

Consilio placuit admittere sequentia criteria generalia.

## 1. DE CRITERIIS SELECTIONIS LECTIUM PATRISTICARUM

Criterium essentiale in textibus seligendis videtur esse utilitas spiritualis clericorum, religiosorum et laicorum nostri temporis. Hi omnes in lectione sacra documenta quaerunt doctrinae perspicua et magni momenti, consilia et subsidia ad vitam christianam promovendam, consolationem et robur in cotidianis laboribus.

Criteria selectionis proposita sunt: *negativa*, primum, de iis quae praetermittenda sunt, etiam si iam in Breviario exstent; *positiva*, deinde, de eligendis idoneis pericopis.

Ad *negativa* quod pertinet hoc statuitur: deserendas sunt lectiones quae ob rationes hodie obsoletas olim electae sunt. Tales sunt, quae

haereses admodum remotas oppugnant, vel principiis hermeneuticis, philosophicis et generatim scientificis, iam derelictis, nituntur vel difficiliores et nimis abstractae sunt vel, utcumque, aetatis nostrae hominibus aptae amplius iam non videntur.

Et nunc criteria *positiva*: eligendae sunt lectiones, quae vitalem sensum S. Scripturae elucident, quae doctrinam dogmaticam, asceticam, moralem rite exponant, quae cum celebratione liturgica particulari nectantur et idoneae appareant ad pietatem et scientiam Dei lectorum huius temporis alendam et fovendam.

## 2. DE METHODO LABORIS

Opus Coetus 5 tribus temporibus vel gradibus perfici posse videtur:

*a) collectionem facere* multarum pericoparum secundum criteria supra exposita.

In statu praesenti laboris, fere tria millia locorum ex Patribus Graecis et Latinis et Scriptoribus mediae ac recentioris aetatis recognita sunt. Quo abundantior erit materia, eo facilius locos idoneos secernere licebit. Meminerimus insuper propositum amplioris lectionarii conficiendi a Patribus «Consilii» approbatum esse. In hoc lectionario multi textus accipi poterunt qui locum in Breviario non habuerunt.

*b) specimina componere* lectionum pro aliquo festo vel anni tempore; ita pro Adventu Coetus nunc efficere conatus est.

*c) tertium denique tempus seu gradus erit selectio definitiva* textuum eorumque adaptatio ad structuram calendarii et Breviarii.

## 3. DE LECTIONIBUS PROPRIIS QUAE AD LAICOS SPECIATIM SPECTENT

A «Consilio» approbatum est ut proponantur lectiones propriae quae ad laicos speciatim spectent, praeterquam illae quae ad mores clericorum et monialium prosint; adsunt enim tres rationes:

*a) Non desunt laici qui, Deo iuvante, Breviario utuntur.*

*b) Lectiones Breviarii non solum ad personalem vitam clericorum et monialium dirigendam, sed etiam ad officium pastorale spectant, v. gr. ut subsidium ad praedicationem verbi Dei.*

*c) Est latissimum programma vitae christianaee omnibus baptizatis commune, quod utinam semper et integre a clericis et monialibus adimpleatur!*

#### 4. DE INTEGRITATE LECTIOMUM

Videtur reicienda methodus « centonizationis », qua ex pluribus scriptoribus et locis, veluti opus musivum, fit lectio; e contra, semper unitate textuali ornata, lectio absque caesuris desumenda est.

Quaestio exsurgit si quando longior textus validus et utilis occurrat, quaedam tamen minoris momenti exhibens ad theologiam vel ad historiam vel ad scientias naturales pertinentia quae evidenter erronea (ex. gr. complures explanationes de narrationes creationis, vel opinio de proximo fine mundi), vel etiam praecepta consiliave proponantur quae hodie vix intellegentur (ex. gr. de continentia coniugali certis anni temporibus, de ratione iejunii servandi), vel sensum nostrae aetatis aliunde offendant (ex. gr. invectivae in Iudeos, paganos et haereticos).

Nihil obstare videtur quin textus aliquis non integer exhibeat, dummodo de omissione lector aliqua ratione (ex. gr. punctis interiectis) certior fiat. Nam selectio locorum criterio anthologico, respectu totius operis in quo continentur, innititur, quod etiam intra ipsos locos selectos adhiberi licet.

Quaedam partes congruentius forsan omitti possunt cum nostrorum temporum minus accommodatae videantur, dummodo hoc caute fiat.

#### 5. DE INTRODUCTIONE DIVISIONUM

Propositum et approbatum est divisiones, titulos et didascalias, quae lectorem adiuvent ad lectiones facilius intellegendas, in textus introduci.

#### 6. DE UNICA LECTIOME

Mens « Consilii » est ut pro unoquoque officio paretur unica lectio patristica longior, potiusquam binae lectiones, altera e tractatibus, altera ex homiliis Patrum desumpta.

#### 7. DE LECTIOME CONTINUA

Secundum alterum principium approbatum, expedit lectionem aliqui operis maioris momenti, ut iam evenit de Augustini Tractatibus in Ioannem tempore quadragesimali, per complures dies continuare.

#### 8. DE COMMENTARIIS STRICTO SENSU ACCEPTIS

Pro lectionibus quae ad sacram Scripturam explanandam spectant, textus etiam seligi possunt qui rationem commentarii stricto sensu

non habeant. Nam, si ratio commentarii stricte exigatur, multi ex optimis textibus patristicis vix adhiberi poterunt, nec facile erit commentaria invenire qui exigentiis doctrinalibus, spiritualibus et pastoralibus congruant.

#### 9. DE SCRIPTORIBUS NON SANCTIS VEL NON PLENE ORTHODOXIS ADHIBENDIS PRO LECTIONIBUS

Opportunitas seligendi lectiones etiam e scriptis auctorum non sanctorum vel non plene orthodoxorum nititur his rationibus:

*a)* Constitutio liturgica non requirit sanctitatem. Ceterum de nota sanctitatis presse statuenda, aliter et aliter in antiquitate et in recentiore aetate diiudicatum est.

*b)* Ad orthodoxiam quod attinet, sufficit ut lectiones electae hac plene fruantur. Plene scriptores non orthodoxi, de quibus quaestio est, saepe opera scripserunt quae optima sunt — etiam sub aspectu orthodoxiae — ad vitam christianam fovendam. Auctores duplicitis categoriae de quibus agitur essent Asterius Amaseae, Clemens Alexandrinus, Dia-dochus Photicensis, Eusebius Caesariensis, Evagrius Ponticus, Faustus Reiensis, Macarius Aegyptius, Melito Sardensis, Origenes, Severus Antiochenus, Tertullianus, (ex operibus catholicis tantum), Theodo-retus, Theodorus Mopsuestenus (ex Catechesibus tantum).

Consilio placuit ut:

*a)* in *Breviario* poni possint lectiones ex scriptis Sanctorum traditionalium et etiam e scriptis auctorum qui non sunt quidem sancti attamen sunt orthodoxi;

*b)* in *Lectionario* patristico, extra *Breviarium*, poni possint lectiones e scriptis auctorum qui aliquando ab orthodoxia defecerunt.

#### 10. DE TEXTIBUS DIFFICILIORIBUS

Textus qui ob peculiaritates latini sermonis difficulter a communibus lectoribus intelliguntur non sunt omittendi. Si hoc criterium non probaretur, non pauci textus, et quidem pulcherrimi, ss. Hilarii et Ambrosii, ut hos tantum memorem, perpetuum somnum in bibliothecis dormire cogerentur. Ceterum patet de huiusmodi difficultate vix ali- quid certi diiudicari posse, quae tota pendent a familiaritate lectoris cum litteris latinis. Haec si deerit, validum adjutorium paestabunt ver-siones vulgares quibus, ut in votis esse videtur, textus latinus futuri *Breviarii* ornabitur.

**De hymnis Breviarii**  
**(P. Anselmus Lentini, OSB)**

Ad normam art. 93 Constitutionis, « hymni, quantum expedire videtur, ad pristinam formam restituantur, iis demptis vel mutatis quae mythologiam sapiunt aut christiana pietati minus congruunt. Recipiantur quoque, pro opportunitate, alii qui in hymnorum thesauro inventiuntur ». Hymni quidem ita seligantur ut, ad normam art. 90, « fons pietatis et orationis personalis nutrimentum » esse possint.

Ad votum « Consilii », quattuor series hymnorum paratae sunt, et peritis transmissae, pro Officio lectionis (i. e. pro Matutino) temporis *per annum*:

a) prima hiemalis, secunda aestiva, pro Officio lectionis dominicae et feriarum *tempore nocturno* (in recitatione chorali vel etiam non chorali) celebrando;

b) tertia hiemalis et quarta aestiva, pro Officio lectionis, dominicae et feriarum *tempore diurno* (in recitatione non chorali) celebrando.

Agitur ergo de 28 hymnis, e quibus octo iam in actuali Breviario adhibentur, qui tamen ad pristinam recensionem criticam, quantum fieri potuit, restituti sunt; ceteri, tum metrii tum rythmici, ex collectionibus antiquioribus deprompti.

Coetus 7 paravit etiam hymnos tempori *per annum* assignandos pro Laudibus et pro Vesperis. Facile munus censem addendi hymnos quoque pro Horis minoribus, et sic brevi tempore cyclum « Psalterii per annum » completum se praestitum sperat.

**De cantibus Officii**  
**(P. Pelagius Visentin, OSB)**

Coetus a studiis 8 de Breviario recognoscendo agere debet de parvis elementis Officii, sc. de Antiphonis, de Responsoriis, de Versiculis, de Absolutionibus ac de Benedictionibus.

Consilio placuit admittere sequentia principia generalia.

**1. QUAESTIO FUNDAMENTALIS DE CANTIBUS OFFICII: AN SINT.**

Aliqui Patres, in aula Concilii, petierunt ut haec elementa a futuro Breviario penitus expungantur, vel saltem in recitatione privata ad

libitum omittantur. Sed alii Patres e contra indolem communitariam Breviarii omnino servandam volunt etiam in recitatione a solo, utpote etiam qui solus Officium persolvit personam totius Ecclesiae gerat, multaque occasiones hodie inveniri queant Officium etiam in communi recitandi. Sane hae partes, ut sunt Antiphonae et Responsoria, saepe melius ad orationem et contemplationem alliciunt, quamvis plures etiam reformatione indigeant.

Una cum Commissione speciali quae novas Rubricas collegit a. 1960, putandum est haec elementa retinenda esse « ne thesaurus pretiosus pietatis amittatur ».

Primum principium est ergo ut in novo Breviario psalmi cum aptis antiphonis canantur vel recitentur, ab his quoque qui privatim Officium persolvunt.

## 2. DE ANTIphonis VESPERARUM CUM PARTICIPATIONE POPULI.

Specialis consideratio habenda est de Vesperis, diebus Dominicis et Festis, quando celebrantur cum populo: convenit in hoc casu ut pauciores et faciliores seligantur vel conficiantur Antiphonae quae ab omnibus cantari possint pro toto aliquo tempore liturgico (v. gr. in Adventu, tempore Nativitatis, etc.) vel pro certis festis (v. gr. B. M. Virginis). Aliiquid simile probatum est in Ordine Missae ut scilicet iuxta Antiphonas, quae nunc exstant in unaquaque Missa propriae (ad Introitum, ad Offertorium, ad Communionem), statuantur pro cantu populi etiam pauciora et faciliora « Communia de Tempore ».

## 3. DE CONSERVATIONE RESPONSORIORUM

Principium generale servandum est ut post lectionem in Officio, etiamsi a solo recitatur, locum habeat aliquod Responsorium: Responsoria enim computantur inter pulcherrimas partes Officii ac valde preciosas pro pietate, si recte intelliguntur, ad hoc enim redacta sunt, ut a lectione transitus fiat ad orationem.

## 4. DE NOVIS TEXTIBUS

Videtur convenire etiam ut in Officio romano deinceps introducantur novi textus, illi quoque qui cantum de se exigunt, etiam sine melodia correspondendi, quia ex una parte devotionem alere possunt, ex altera de facto raro hodie canuntur (sicut v. g. Responsoria).

# Sacra Congregatio Rituum

---

## RUBRICAЕ IN MISSALI ROMANO EMENDANDAE

Die 15 februarii 1965 (SRC, Prot. R. 11/965) *Sacra Rituum Congregatio misit ad Librorum liturgicorum Editores elencum variacionum rubricarum in decursu Missalis introducendarum.* Hae variationes necessariae visae sunt ut rubricae Missalis concordent sive cum normis Instructionis diei 26 septembris 1964, sive novi Ordinis Missae, Ritus servandi in celebratione Missae et Cantuum (de quibus cfr. Notitiae, 1965, n. 5, pp. 100-101). Tales rubricae, clarum est, inserendae sunt etiam in Missalia bilingua.

Indicantur paginae editionis typicae Vaticanae, a. 1962.

pag. 5b — Rubrica *Quoties* in fine sic corrigatur: « ... in silentio orant; postquam celebrans vel diaconus surrexit et dixit *Levate*, omnes surgunt, et celebrans dicit orationem ».

pag. 17 — In fine rubricae *In festo* scribatur « tit. XV ».

pag. 19b — In fine primae Missae ponatur rubrica: « Debet sacerdos in initio secundae et tertiae Missae consuetas preces dicere ».

pagg. 21b, 38b, 112a — In Evangelio rubrica *Hic genuflectitur* deleatur.

pag. 22a — Rubrica *In fine* expungatur.

pag. 55b — Post *X Dominus vobiscum. R Et cum spiritu tuo*, haec ponatur rubrica: « Ex sequentibus orationibus, una tantum dici potest ».

pag. 57a — Rubrica *In Missa* ita inchoetur: « In Missa quae benedictionem cinerum sequitur, omittuntur omnes preces ad gradus altaris dicendae, necnon orationes *Aufer...* ».

pag. 58a — Ante *X Adiuva* expungatur rubrica *Hic genuflectitur*. Eadem rubrica deleatur in ceteris feriis temporis quadragesimalis.

- pag. 118a — E rubrica *Ab hac tollantur verba « psalmus Iudica ante confessionem; neque ».*
- pag. 135a — In rubrica n. 2 verba « omissis psalmo *Iudica me, Deus, ac confessione* », sic mutentur: « omissis omnibus precibus ad gradus altaris dicendis, necnon orationibus *Aufer a nobis et Oramus te, Domine* ».
- pag. 136a, 655a, [62]a [154]a — In Epistola expungatur rubrica *Hic genuflectitur.*
- pag. 136b — Rubrica *Cantatur* in altera parte sic emendetur: « ... super infimum gradum genuflexi, submissa voce recitant *Munda cor meum*; deinde se conferunt ad celebrantem et, inclinati, ab eo petunt benedictionem, dicentes: *Iube, Domine, benedicere. Celebrans respondet ...* ».
- Rubrica n. 8a sic varietur: « Sacerdos, dictis more solito *Munda cor meum, Iube, Domine et Dominus sit cantat vel legit clara voce historiam ...* ».
- pag. 141a — Rubrica n. 18 et textus Evangelii auferantur.
- pag. 152a — E rubrica n. 4 expungantur verba « *lecta antiphona ad Introitum et Kyrie, eleison* recitato, ».
- pag. 153b — Rubrica n. 17 ita reducatur: « In fine Missae datur benedictio more solito, et postea in choro dicuntur Sexta et Nona ».  
— In titulo, qui Missae in Cena Domini praeponitur, deleatur verbum « *solemni* ».
- pag. 154a — In rubrica n. 5 verba « *et interim cantatur a schola antiphona ad Introitum* » deleantur.  
Rubrica n. 6 ita reducatur: « *Celebrans confessionem facit more solito* ».
- Rubrica n. 7 ita inchoetur: « *Cum celebrans incipit solemniter Gloria in excelsis Deo, pulsantur ...* ».
- pag. 159b — Rubrica *Si Episcopus* deleatur.
- pag. 160b — Rubrica n. 35 ita inchoetur: « *Benedictio hodie omittitur; celebrans....* ».
- pag. 162a — Rubrica n. 7 sic varietur: « *Oratione completa, celebrans et ministri, seu ministrantes, ad sedilia pergunt. Lector pri-*

mam lectionem legit in loco ubi Epistola proclamatur, omnibus sedentibus ... ».

In rubrica n. 7a verba « stans in loco suo », deleantur.

pag. 162b — Rubrica n. 8 sic compleatur: «... in silentio orant; postquam diaconus surrexit et dixit *Leverate*, omnes surgunt, et celebrans dicit orationem ».

pag. 162b — In rubrica n. 9 verba « ad legile » sic mutentur: « in loco ubi legitur Epistola ».

pag. 163a — Rubrica n. 9a sic exprimatur: « Lectionem legat lector; secus vero ipse celebrans ».

pag. 163b — E rubrica n. 10 tollantur verba « cum libris ».

pag. 164a — Rubrica n. 10 sic compleatur: « ... super nudum legile vel ambonem cantat aut legit historiam Passionis Domini. Si vero lectionem vel lectiones praecedentes ipse legit, celebrans dicit *Dominus sit stans in eodem loco versus altare* ».

pag. 167b — In fine n. 12 haec addatur rubrica: « Ad orationem fidelium celebrans cum ministris manere potest ad sedem. Hoc in casu acolythi tobaleam super altare extendunt versus finem adorationis crucis ».

— Rubrica n. 13 sic varietur: « ... in silentio orant; postquam diaconus surrexit et dixit *Leverate*, omnes surgunt, et celebrans ... ».

— Item rubrica n. 13a sic varietur :« ... in silentio, surgit, dicit *Leverate et, extensis* ... ».

pag. 175a — Rubrica n. 14 sic mutetur: « Orationibus solemnibus completis, celebrans ad sedilia deponit pluviale, ministri ... ».

pag. 180a — In n. 26, rubrica *Totum deleatur*.

Postrema rubrica ita emendetur: « Celebrans, manibus extensis, et omnes praesentes prosequuntur: ».

pag. 180b — In fine orationis dominicae dematur verbum *Amen*. In oratione *Libera* rubrica *non signat se* deleatur.

pag. 181a — In n. 31 scribatur: « Et continuo communicandi faciunt confessionem ».

- In n. 32, post verba *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, rubrica sic corrigatur: « Mox communicandi subdunt ter: ». Rubrica « quod iterum ac tertio repetit » deleatur.
- pag. 185 — Rubricis nn. 13, 13a addatur: « Si magis opportunum fuerit, praeconium paschale etiam ex ambone proclamari potest ».
- pag. 187 — Verba *Per omnia saecula saeculorum* ponantur immediate post verba *Spiritus Sancti, Deus*. Attamen super verba *per omnia* ponantur notae « sol, la, la ».  
Verba *Dominus vobiscum* etc. in capite lineae scribantur.
- pag. 194 — Rubrica n. 15 ita varietur: « Postea leguntur lectiones, sine titulo, nec in earum fine respondetur *Deo gratias*. Leguntur vero a lectore ut fit pro Epistola. Celebrans et ministri, clerus et populus, sedentes auscultant ». Simili modo corrigatur rubrica n. 15a: « Postea ... Leguntur vero a sacerdote ut fit pro Epistola. Ministrantes et populus sedentes auscultant ».
- pag. 195a — Rubrica n. 16 sic varietur: « ... in silentio orant; postquam diaconus surrexit et dixit *Leverate*, omnes surgunt ... ». In rubrica n. 16a, verba « ante legile » sic mutentur: « in eodem loco ». In eadem rubrica, verba « dicto a sacerdote *Leverate* » sic mutentur: « postquam celebrans surrexit et dixit *Leverate* ».
- pag. 200 — Verba *Per omnia saecula saeculorum. R. Amen.* continuatim scribantur post verba *Spiritus Sancti, Deus* (Absque melodia).
- pag. 211a — In rubrica 1, verba: « omissis psalmo *Judica me, Deus, et confessione* », sic mutentur: « omissis omnibus precibus ad gradus altaris dicendis, necnon orationibus *Aufer a nobis et Oramus te, Domine* ».
- pag. 215a — In rubrica n. 10 verba « omissis ultimo Evangelio » deleanoruntur.  
Rubrica n. 11 expungatur.
- pag. 348a — Rubrica *In Missa* sic inchoetur: « In Missa quae processionem vel alias supplicationes sequitur, omittuntur omnes preces ad gradus altaris dicendae, necnon orationes *Aufer a nobis ...* ».
- pagg. 358 ad 371 et [57] — Rubrica *Hic genuflectitur* expungatur.

- pag. 464a — Post *N. Dominus vobiscum.* R. *Et cum spiritu tuo,* haec ponatur rubrica: « Ex sequentibus orationibus, una tantum dici potest ».
- pag. 466b — Rubrica *In Missa* sic inchoetur: « In Missa quae benedictionem candelarum sequitur, omittuntur preces ad gradus altaris dicendae, necnon orationes *Aufer a nobis ...* ».
- pag. 705 — In fine rubricae *Hoc die* scribatur « tit. XV ».
- pag. 707b — Rubrica *Debet*, sic emendetur: « Debet sacerdos in initio secundae et tertiae Missae consuetas preces dicere ». Altera periodus *In fine autem* deleatur. Item deleatur rubrica *Et non datur*.
- pag. [75]a — Rubricae *Si solemnis* praemittantur numeri 70, 71 et 73 Instructionis diei 26 sept. 1964.
- pag. [75]b — Rubrica *Cum vero expungatur*.
- pag. [77]b — Rubrica *Moneat* sic mutetur: « Postea eos aspergat aqua benedicta et, dicto *Placeat*, det benedictionem ».
- pag. [129]a — E rubrica *Finita* expungantur verba: « ultimo Evangelio omissio ».
- pag. [135] — E rubrica *Si absolutio* expungantur verba: « in ea ultimum Evangelium omittitur. Post Missam ».

### DE OFFERTORIO RITUS AMBROSIANI

*Die 9 ianuarii 1965 (SRC, Prot. M. 1/965) Sacra Rituum Congregatio probavit et adhibere concessit sequentem textum Offertorii Missae ritus Ambrosiani ad simpliciorem formam redactum, ad normam Constitutionis et Instructionis:*

*Finita oratione super sindonem, Sacerdos, accipiens patenam cum Hostia, illam offert, dicens:*

Suscipe, clementissime Pater, hunc Panem sanctum, ut fiat Unigeniti tui Corpus, in nomine Patris, ☧ et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

*Reposita Hostia super corporale, infundit vinum in calicem, dicens:*

De latere Christi exivit sanguis,

*Deinde aquam benedit, dicens:*

et aqua pariter, in nomine Patris,  $\text{☩}$  et Filii, et Spiritus Sancti.  
Amen.

*Tum accepto calice offert, dicens:*

Suscipe, clementissime Pater, hunc Calicem, vinum aqua mixtum,  
ut fiat Unigeniti tui Sanguis, in nomine Patris,  $\text{☩}$  et Filii, et Spiritus  
Sancti. Amen.

*Calice super corporale posito, et palla cooperto, iunctis manibus, et  
super altare positis, profunde inclinatus, dicit:*

Suscipe, Sancta Trinitas, hanc oblationem pro emundatione mea,  
ut mundes et purges me ab universis peccatorum maculis: quatenus  
tibi digne ministrare merear, Deus et clementissime Domine.

*Benedicit oblata, prosequendo:*

Benedictio Dei omnipotentis, Pa $\text{☩}$  tris, et Fi $\text{☩}$ lli, et Spiritus  $\text{☩}$   
Sancti copiosa de caelis descendat super hanc nostram oblationem: et  
accepta tibi sit haec oblatio, Domine, sancte Pater, omnipotens aeterne  
Deus, misericordissime rerum conditor.

*Ad verba « copiosa de caelis ... » Sacerdos manus imponit super oblata,  
usque in finem orationis.*

# Coetus Episcoporum

## **LIBRI LITURGICI OFFICIALES**

### **CANADIA**

#### **Messe chrismale le jeudi de la Cène du Seigneur**

Pontifical latin-français.

Editor: Commission épiscopale de liturgie (secteur français), Ottawa.

Impressum in Canadia, typis Gauvin Limitée, Hull, P. Q., 1965.  
22 × 29 cm., pp. 55.

**CONTENTUM:** Indicatio fontium unde desumpti sunt et textus latini et eorum versio gallica; Sacra Rituum Congregatio, Decretum; De ritu benedicendi oleum catechumenorum et infirmorum, et confi- ciendi Chrisma; De Missa Chrismatis; Benedictio Chrismatis; Benedictio olei catechumenorum.

#### **Rituel du mariage**

Editores: Editions HMH L<sup>tée</sup>, Maison Mame.

Impressum in Gallia, typis Mame, Tours, 1965.

16,5 × 23 cm., pp. 32.

**CONTENTUM:** Praesentatio; Ritus Matrimonii; Missa et Ritus Matrimonii; De celebratione Matrimonii Sacramenti extra Missam; Benedictio mensae in convivio matrimoniali; Oratio ad usum sponsorum; Benedic- tio sponsaliciorum.

### **ARGENTINA**

#### **Leccionario dominical y festivo**

Editorial Bonum, Buenos Aires, 1965.

Talleres gráficos de Sebastián de Amorrott y Hijos, S. A.  
Buenos Aires.

19,5 × 28,5 cm., pp. 211.

**CONTENTUM:** Presentación; Proprium de Tempore; Proprium Sanctorum; Missa pro Sponsis; Missae defunctorum; Indice de las Lecturas; Indice de los Libros.

---

### GERMANIA

#### **De sectione studiorum in Instituto Liturgico Trevirensi mox aperienda**

1. Cum approbatione et commendatione peculiari Conferentiae Plenariae Episcoporum Germaniae, inde a mense novembri anni 1965, in Instituto Liturgico Treviris pro tota Germania erecto Sectio de Studiis Liturgicis inchoabitur.

2. Indoles specialis horum studiorum erit ut cum solida instructione scientifica (et theologica et historica) coniungatur intensa investigatio diversorum aspectuum pastoralium S. Liturgiae iuxta mentem Constitutionis conciliaris de S. Liturgia et Instructionis SRC diei 26 sept. 1964.

3. Praeter docentes, qui Treviris degunt, docebunt et professores hospites, inter quos R.mus P. Joseph A. Jungmann, SJ, Universitatis Oenipontanae, et R.mus D. Joseph Pascher, Universitatis Monacensis professor.

4. Omnes lectiones et exercitationes necnon colloquia et examina oralia lingua Germanica habebuntur, ita ut cognitio sufficiens huius linguae sit condicio pro admissione.

5. Insuper praerequiritur, nisi speciales adsint rationes, expletum quadriennium theologicum.

6. Ut necessitatibus urgentibus temporis postconciliaris quam citius obveniatur, curriculum studiorum — pro nunc saltem — ad unum annum integrum, i.e. duodecim menses, limitatur.

7. Qui durante hoc anno singula examina oralia de singulis materiis superaverit necnon specimen eruditionis in scriptis submiserit,

---

acquiret diploma de studiis liturgico-pastoralibus cum successu in Instituto Liturgico Trevirensi peractis. Pro specimine eruditionis in scriptis exarando etiam aliae linguae admittuntur.

8. De tributis solvendis et de domiciliis pro tempore studiorum comparandis ulterior notitia tempore suo iis transmittetur qui sese inscripserint.

9. Inscriptio fiet in ipso Instituto die 2 novembris 1965. Tunc praesentanda erunt documenta, nempe: litterae dimissoriae proprii Superioris sive regularis sive dioecesani et testimonium de expleto quadriennio theologico.

10. Inscriptiones accipiuntur a « Liturgisches Institut, 55 Trier, Jesuitenstraße 13 c (Germania) », a quo et ulteriores informationes requiri possunt.

## DE PRIMIS GRESSIBUS INSTAURATIONIS LITURGICAE

### ANGLIA ET CAMBRIA

In Anglia et Cambria Ordinarium Missae cum Epistola et Evangelio, iam a prima dominica Adventus 1964 in lingua vernacula dicitur: Proprium Missae a dominica secunda Passionis 1965, iuxta decre-  
tum typicum.

In genere grato animo a clero et a populo recepta est ista instau-  
ratio. Pauci sunt qui strenue eam renuerunt! Sunt autem alii non pauci,  
et inter meliores, qui Missam cotidianam per annos adierunt, pro quibus  
privatio Missae latinae est dolor. Propterea in multis ecclesiis dicitur  
semel aut bis in hebdomada Missa latina. Tempus omnia sanat. Nulla  
ratio tamen videtur adesse cur Missa latina non remaneat tanquam  
unus inter plures modos ritus Romani sicut hucusque varii modi (missa  
solemnis, cantata, lecta) exstiterunt.

DIFFICULTATES praecipuae adhuc superandae sunt:

1. Mentalitas eorum qui concipiunt novam instaurationem tanquam  
meram mutationem rubricarum et nondum plene intelligunt totam indo-  
lem Missae ut celebrationem communitariam mutatam esse.

2. Liturgia Verbi eget profundiore instauratione. Versus ad introitum, graduale, versus ad offertorium et ad Communionem nonnisi fragmenta sunt, non semper intelligibilia, aliquando parum congruentia themati Missae.

3. Lingua, symbolismus, conceptus Veteris Testamenti saepe sat aliena sunt a populis nostris. Quid possunt intelligere de istis « tauri pingues rugientes ut leones »? Praesertim vero obiurgationes, imprecatio-nes, etc. in auribus eorum male sonant.

4. In Rituali desideratur instauratio ritus Baptismi, praesertim exorcismorum; benedictionis mulieris post partum; orationum et cantus in exequiis, ut clarius et intelligibili modo appareat spes christiana.

Quoad Missam in cantu nihil adhuc apud nos innovatum est nisi ut liceat Epistolam et Evangelium lingua anglica proclamare, non tamen cantare. Non licebit aliquid de Missa anglice cantari antequam musica vere digna approbetur a Commissione nostra de Musica ecclesiastica (« The Church Music Association »). Sunt enim multi in re musicali parum periti qui nimis omnino parati sunt ad modos musicos compo-nendo parum dignos liturgiae Missae.

Tandem de Canone Missae. Sperandum est quod regula maneat ut normaliter submissa voce dicatur a celebrante; non parvi momenti videtur populum christianum formare etiam in habitu contemplationis et meditationis. Praeterea quando pars reservatur soli sacerdoti inculcatur populo doctrina de munere sacerdotali. Munus populi, notio « sacerdotii omnium fidelium », bene et satis clare nunc apparent in liturgia Verbi et alibi.

Traductio definitiva missalis in manibus est Commissionis Liturgicalae Nationalis. Iam textus Hebdomadae sanctae quasi paratus est ut prelo committatur. Speratur ut anno 1966 praesto sit textus definitivus lingua anglica versus saltem Missarum Dominicarum et festorum maiorum.

✠ GEORGIUS PATRICIUS DWYER  
*Episcopus Loidensis*

## CECOSLOVACHIA

## I. Quoad INCEPTA circa instaurationem Liturgiae:

Ad mentem *Constitutionis*, quae in linguam vernacula versata est, liturgiae instauratio a peritis pertractabatur. Plus minusve hoc fiebat in recollectionibus vel conferentiis sacerdotum. Sublatis dubiis partialiter, deinde litterae circulares editae sunt, ut tum sacerdotes tum fideles instruendi essent in genuino sensu Liturgiae instaurationis. Sacerdotes praesertim in cura animarum operantes enixe adhortabamus ne intermitterent, quae ad verum sensum Liturgiae instaurationis rite perficiendum sint necessaria. In recollectionibus concurrente clero dioecesano nonnulla principia liturgica instaurationis pressius explicabantur a patribus conciliaribus.

Cumque perfecta textuum liturgicorum interpretatio popularis apud nos, experientia teste, multis conditionibus magis respondeat, consulta S. Sede, magis linguam vernacula adhibere velimus tum quoad Missam tum quoad Sacraenta. Praeparatur « Liber lectionarius » in quo continebuntur in lingua vernacula: introitus, oratio, lectio, graduale, tractus, Evangelium.

II. Quoad EXITUM: Perspicuum est, per Liturgiam praecipue ad nostrae aetatis necessitates melius accommodatam, pastoralem actionem fideliumpque institutionem excitari. Fideles imprimis, si sint per debitam catechesim probe instructi, libenter accipiunt renovatam Liturgiam.

Magnum affert alimentum vitae spiritualis quotidiana auscultatio Sacrae Scripturae in lingua vernacula prolatae. Fideles ratione liturgiae instaurationis frequentius et actuosius participare Sacraenta videntur. Feria V in Cena Domini concurrentibus animarum pastoribus Missa Chrismatis concelebrata erat in ecclesia cathedrali Ternaviae, summo cum studio ac laetitia cleri populi fidelis.

Commissione liturgica penes coetum Ordinariorum cum praeside infrascripto instituta est; huic subsunt Commissiones liturgicae una pro Slovacia altera pro bohemica parte Reipublicae. Itemque Commissiones dioecesanae institutae sunt in omnibus dioecesibus Reipublicae Cecoslovachiae. Membris istarum Commissionum munera distributa sunt; opem ferunt Ordinariis, pro facultate adiuvant sacerdotes praecipue in vinea Domini operantes, accurate prosequuntur ea quae in re liturgica a Commissione proponuntur.

III. Quoad DIFFICULTATES: Praeprimis indigemus libris liturgicis et periodicis; item technicis adiumentis. Si qui libri editi sunt, serius eos accipimus. Nonnulli sacerdotes propter aetatem et consuetudinem inveteratam difficulter assuescunt novis rubricis. Itemque fideles aetate proiecti, aegre ferunt Liturgiae innovationes. In facultate Theologiae cathedra Liturgiae adhuc non habetur neque magister praeficiendus sacrae Liturgiae disciplinae est institutus, sed proxime constituetur.

IV. Quoad PROPOSITIONES, quae nostras indigentias respiciunt, sic vellem exprimere: copiam librorum liturgicorum cupimus habere; apta etenim ut sit manuductio clericis ad Liturgiam, animarum rectoribus utinam praesto sint « Ordo Missae » atque libri meditationum ac praedicationum ex fonte Sacrae Scripturae et Liturgiae haurientes.

Apud nos valde desideratur, ut liturgia Sabbati sancti pro posse saltem aliquantulum brevior sit, quia fideles per plures horas interim vix possunt assuescere; ideo participantium nullo modo attingitur optatus numerus.

Satagimus uti omnibus adiumentis ut magis magisque intima unio vigeat inter liturgiam et catechesim, religiosam institutionem atque praedicationem.

✠ AMBROSIUS LAZÍK  
Administrator apostol. Tyrnaviensis

## DANIA

I. De INCEPTIS ad instaurationem parandam. In ephemeridibus nostris « Katolsk Ugeblad » ac « Catholica » pluries tota instauratio a diversis auctoribus tractata est; in « Catholica » *Instructio* insuper in linguam nostram est translata; item in paroeciis multis ipsi parochi vel sacerdotes alii fideles diversis modis instituerunt.

II. De EXITU primae applicationis. Complures cum gaudio Lectio-nes, Epistolam, Evangelium lingua sua audire possunt. Non desunt autem, qui in partibus Ordinarii proferendis linguam latinam vernaculae adhuc praferant.

In nostra Dioecesi usus linguae vernaculae in Missis in cantu introductus est in Lectionibus, Epistola et Evangelio legendis.

In Missis lectis: a principio Missae usque ad Ant. ad Offertorium incl. — Post Ant. ad Offertorium in sequentibus tantum partibus: *Orate, fratres, Suscipiat*, Oratio super oblata, *Pater noster* ac *Embo-lismus*, *Pax Domini, Agnus Dei, Ecce Agnus Dei, Domine, non sum*

*dignus, Corpus Christi, Ant. ad Communionem, Postcommunio, Ite, missa est ac demum Benedictio.*

In ritibus Baptismatis, Confirmationis, Paenitentiae, Unctionis infirmorum, Matrimonii necnon in distribuenda sacra Communione lingua vernacula adhiberi potest.

III. De DIFFICULTATIBUS. In quibusdam ecclesiis maioribus difficilior aliquando evadit participatio actuosa fidelium in formulis dialogi atque in *Kyrie, Gloria, Credo* etc. recitandis.

✠ THEODORUS SUHR  
Administrator apost. Hafniae

## FINNIA

### I. BEGINNINGS

1. The liturgical commission erected by the Bishops Conference of which commission the undersigned is the president, has until now met twice. This commission consists of the 7 presidents of the diocesan commissions plus one. Because five of the members of the liturgical commission erected by the Bishops Conference, represent different countries with different languages and with each its own specific difficulties (Denmark, Sweden, Norway, Finland and Iceland), and also because of the great distances which separate the members and which cause the spending of heavy travel-expenses, the work of this commission is far from easy. We consider it to be our task to coordinate as much as possible the liturgical renewal in the different countries, by preparing the decisions to be taken by the Bishops Conference. Until now the commission has worked for a coordination in regard to the extent of the use of the vernacular in Holy Mass, in regard to the manner of receiving Holy Communion « sub utraque », in regard to the prayers of the faithful, in regard to the marriage rite, in regard to the local feasts in the liturgical calendar, to mention only the more outstanding points discussed.

2. In the diocese of Finland itself with its 2.500 catholics divided in two different languages (Finnish and Swedish), the liturgical commission has prepared and executed the following *incepta*:

a) in a preparatory stage: 1) letter of the bishop to announce coming articles in diocesan papers regarding changes; 2) sermons in churches and conferences for groups meeting of the parish-priests; 3) publication of part of Mass in vernacular.

b) From the 7th of March: 1) Solemn High Mass entirely in Latin; 2) sung Mass and low Mass *coram populo*: Epistle and Gospel in the vernacular; 3) on Sundays and Feastdays one mass in each church as much as possible in the vernacular.

## II. FIRST RESULTS

The fact that the introduction of the vernacular was well prepared, and especially that the vernacular has been introduced in such a way that the Latin mass has been kept at the same time, has created a good atmosphere. There has been no outcry either in favour or against the vernacular. We are satisfied with this result.

## III. DIFFICULTES

1. From outside the liturgy; the fact that Finland has two national languages- makes active participation is in itself difficult for a Finn.

The lack of real experts in liturgy; on the other hand this is a help in so far it incites us to be very careful, to accept the best from other countries and to profit by their mistakes.

2. The renewal of the liturgy, passing through its different stages, makes us realise that we have not arrived at that definite fundamental form which will permit us with certainty to keep up with the changes that are from time to time published: 1) because we are not always directly and immediately informed of these changes; 2) because we cannot meet the expenses which publication of new texts in the vernacular involve.

## IV. PROPOSAL

The liturgical commission intends to wait about a year, and then see if the use of the vernacular should be extended to more Holy Masses. In the meantime it intends to study the possibilities of the use of Finnish hymns for the liturgy, the ceremonies of matrimony and burial, and the question of the liturgical feasts known and celebrated by the Finnish Lutheran church, but not always in the same date as the date on which the Latin church celebrates these feasts.

✠ PAUL M. VERSCHUREN  
*Bishop Coadj. of Helsinki*

## HELVETIA

## I. INCEPTA

Coetus Episcoporum Helvetiae, diebus 11 et 12 ianuarii 1965 Friburgi Helvetiorum coactus, facultate sibi per « Instructionem » diei 26 septembris 1964 facta plene utens linguae vernaculae usum in omnibus actionibus liturgicis permisit, quae in « decreto typico » (*Notitiae*, 1-4, pag. 9) indicantur, et ultiro pro precibus ad gradus altaris dicendis et pro *Orate, fratres - Suscipiat*. Insuper a S. Sede petivit ut liceret in Missis per hebdomadam alias pericopas et in Missis cantatis loco cantuum Proprii cantus congruos populares, praesertim psalmos, proferre.

Confirmatione a « Consilio » habita (ultimis duabus supradictis petitionibus Supremae Auctoritati propositis) die 30 ianuarii « Ordinationes » publici iuris fecit quibus tum clerum cum populum exhortatus est, ut strenue instaurationi liturgicae promovendae operam darent, nova libenti animo accipientes, vetera fideliter conservantes.

Mandato et nomine auctoritatis territorialis Commissio de sacra Liturgia Helvetiae mense februario « Richtlinien zur Feier der heiligen Messe - Directives liturgiques et pastorales pour la célébration de la Messe » publicavit, quae ordinationes et regulae propter indolem pastoralem rationibus theologicis firmatam et propter spiritum a nimio sive perseverantiae sive novitatis studio alienum communis plausu acceptae sunt; immo Praeses Commissionis liturgicae Indonesiae eas Coetui episcoporum huius regionis adoptandas proponit.

## II. EXITUS

Pluribus conventibus et sessionibus in omnibus Helvetiae partibus habitis, quibus sacerdotes et per conferentias et per celebrationes liturgicas recte praeparabantur, instauratio inde a die 7 martii ubique quasi felici cum successu peragitur, omnibus fere animarum pastoribus alacriter et impigne adlaborantibus. Fideles non tantum iunioris, sed et proiectioris aetatis prompto animo innovationes accipiunt et adfirmant, diffidentia et suspicione hic inde forte exstantibus sepositis. Constat exinde vitam liturgicam non parum exultam et participationem fidelium magis plenam, conscientiam, actuosam effectam esse.

**III. DIFFICULTATES**

Habentur sane nec paucae nec parvae difficultates. Diversitas linguarum vernacularium (quatuor sunt in patria nostra linguae officiales, ut aiunt) aliquantulum obest unitati promovendae in diversis Helvetiae dioecesibus. Desunt textuum liturgicorum quaedam interpretationes populares, vel non omnibus exigentiis satisfaciunt. Nec exstat sufficiens copia cantuum liturgicorum lingua vernacula canendorum. Insuper ecclesiae saepe saepius tales non sunt, quae celebrationem versus populum et participationem actuosam fidelium foveant.

**IV. PROPOSITIONES**

Plurimorum in votis est, ut etiam Praefationes Missae lingua vernacula proferri possint, praeprimis tamen, ut in Missis cantatis loco Antiphonae ad Introitum, Offertorium, Communionem, necnon cantus inter lectiones occurrentis, liceat congruos cantus religiosos populares ab Episcopis pressius definiendos cantare, cum saltem in regione linguae germanicae habeatur traditio immemorabilis tales cantus (« Kirchenlieder ») cantandi. Desiderium præterea commune est, ut licentia concedatur, quam Conferentia Episcoporum a S. Sedes petivit, ut nempe in Missis per hebdomadam celebrandis aliae epistolae aliaque evangelia legi possint, cum permulti et sacerdotes et laici aegre ferant easdem iterum iterumque pericopas legere vel audire.

✠ RAYMUNDUS TSCHUDY  
*Abbas Einsidlensis*

**HIBERNIA****I. INCEPTA**

1. Prima dominica Quadragesimae lingua vernacula, gaedelica videbitur et anglica, introducta est, pro Missis lectis coram populo celebratis:
  - a) in precibus in initio Missae ante gradum altaris;
  - b) in proferendis Lectionibus, Epistola et Evangelio;
  - c) in cantibus ordinariis Missae, nempe *Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus-Benedictus et Agnus Dei*;
  - d) in acclamationibus, salutationibus et formulis dialogi et in formulis *Ecce Agnus Dei et Domine, non sum dignus* in Communione et in Oratione dominica cum sua admonitione.

2. Iam ab anno 1959 lingua vernacula adhibetur in multis ritibus Baptismi, Unctionis infirmorum et Matrimonii et in multis Sacramentalibus. Commissio liturgica Episcoporum nunc praeparat versiones vernaculas pro exequiis et aliis ritibus sacramentorum et sacramentalium.

3. A prima dominica Quadragesimae 1964 homilia semper habetur post evangelium in Missis coram populo celebratis diebus dominicis et diebus festis.

4. A prima dominica Quadragesimae 1964 Matrimonium fere semper celebratur intra Missam.

5. Commissio liturgica, cui opem ferunt plus quam viginti periti utriusque cleri, et laici, apud Coetum Episcopalem constituta est. Singulis dioecesibus datur Commissio de sacra Liturgia; tres habentur Commissiones interdioecesanae ad normam num. 45 *Constitutionis de sacra Liturgia*.

6. Aptae normae a competenti auctoritate datae sunt quoad liturgicam clericorum institutionem et formationem liturgicam vitae spiritualis clericorum, ad normam nn. 16 et 17 *Constitutionis* et nn. 11-17 *Instructionis* diei 26 septembris 1964. Cathedra liturgiae constituta est apud facultatem theologicam Collegii sancti Patricii apud Maynooth.

7. « Oratio fidelium » a Commissione liturgica praeparatur ad normam regularum et exemplarium « Consilii ».

II. EXITUS horum inceptuum, praesertim usus linguae vernaculae in Missa, fuit optimus. Incepta a populo, quasi una voce, acclamata sunt.

III. Principalis DIFFICULTAS habetur in quadam ambiguitate vel varietate rituum Liturgiae Verbi in Missa.

IV. DESIDERATUR ut quam primum cursus Epistolarum et Evangeliorum pro diebus dominicis recognoscatur ita ut pericopae populo aptiores eligantur et eo ordine disponantur ut catechesis populi, per cursum v. g. quattuor annorum, apte cum homiliis integrari possit.

✠ GULIELMUS Card. CONWAY  
*Archiepiscopus Armachanus*

## HUNGARIA

I. INCEPTA PRAECIPUA INSTAURATIONIS. — Coetus Episcoporum Hungariae secundum propositum Commissionis territorialis decrevit, quod *Instructionis* nn. 48-55, in omnibus Dioecesibus latini ritus servarentur. Ad hunc finem Litteras Pastorales edidit.

Fasciculum « Ordo Missae et Ritus servandus » sero iam accepi, quando Litterae Pastorales iam editae sunt. Attamen statim communi- cavi omnibus Ordinariis Hungariae ita, ut omnibus Dioecesibus ritus latini Hungariae rubricae fasciculi « Ordo Missae et Ritus servandus » iam in praxim deductae sint. Concelabrationes in feria V Hebdomadae sanctae fere in omnibus Cathedralibus factae sunt. Maiores difficultates circa exsequendas rubricas « Ordinis Missae » et « Ritus servandi » nullibi fuerunt. Seniores aliquantulum alieniter acceperunt, sed iam post duos menses non solum assueverunt, sed devote acceperunt. Maximi momenti est praeparatio pastoralis liturgica, sicut scriptum est in Litteris Pastoralibus Coetus Episcoporum Hungariae. Ubi pasto- res animarum fidelibus rite et distincte explanant in catechesibus et homiliis rationes instaurationis Liturgiae ad simpliciorem formam, ut omnes conscie, pie et actuose participant S. Missam, et non tantum audiant S. Missam et sic pracepto Ecclesiae aliquo modo externe iuridice satisfaciant, ibi fideles vere laeto animo et actuose intendunt perfectius Eucharistiae Mysterium participare.

Talem animum et mentem bene adiuvat, quod in Hungaria a die 7 martii a. c. lectiones et Evangelia lingua vernacula leguntur. Ceterae partes Missae non, quia in his diebus mittere intendit Coetus Episcoporum in Hungaria, ut Ordinarium et Proprium Missae, sicut in terri- toriis aliarum Nationum iam in praxim deducta est, sec. approbationes et confirmationes Sedis Apostolicae, lingua vernacula Hungariae reci- tare vel cantare valeamus. Coetus Episcoporum Hungariae hoc gradatim et cum prudentia optat in praxim deducere, post accuratam praepa- rationem. Hoc valde necessarium est, quia catholici in Hungaria devo- tissima anima adhaerent traditioni priorum saeculorum, quae a parentibus acceperunt. Et non solum in articulis fidei, sed in functionibus liturgicis viderunt unitatem Ecclesiae Catholicae. Hoc est tale momen- tum psychologicum, quod negligere damnum restaurationis liturgicae esset. Ideo intendit Coetus Episcoporum Hungariae linguam vernaculam in S. Missis *gradatim* inducere.

II. EXITUS PRIMAE APPLICATIONIS. — Sicut iam dixi, fideles post aliquantulum tempus, quando per catesesim liturgicae institutionis mentem et spiritum intellexerunt, laeto animo acceperunt. Uberiorem actuosam participationem libenter accipient. Adhuc iam ante plura saecula fuerunt consuetudines, quod nonnulli homines in Ecclesia orationem, litanias praelegerunt. Et hoc munus libenter accipiunt iuniores a senescentibus. Ex hac consuetudine cum pastorali prudentia possunt pastores animarum fideles ad maiorem participationem in S. Missis praeparare. Coetus Episcoporum Hungariae sacerdotum institutionem ad laborem pastoralem liturgicum per exercitia, recollectiones menstruas, conferentias pastorales praeparat.

III. DIFFICULTATES. — Proprium Missae lingua vernacula cantare non possumus. Nos catholici in Hungaria maximum thesaurum habemus in cantibus catholicis. Non solum eos, quae in libro officiali « Szent vagy Uram » a Coetu Episcoporum approbato continentur. Sed super hos 380 cantus, habemus a tempore saeculi xvi fere 1.500 cantus catholicos, quorum pars media cantus ad Proprium Missae accommodati sunt. Non verbotenus sed secundum argumentum (mente et spiritu) applicati sunt ad Proprium Missae. Et alia est difficultas, quod non habemus possibilitatem cantionale, in quo proprium Missae cantu contineretur, typis edere et omnibus fere fidelibus tradere. Ad quod opus plures anni requiruntur. Humillime rogo, velit « Consilium ad exsequendam Constitutionem de S. Liturgia » perpendere, num possit et liceat, dum Proprium Missae in lingua vernacula Hungarica apparere valeat, loco Proprii Missae (Introitus, Graduale, Offertorium, Communio) cantus approbatos ita adhibere, ut celebrans non sit obligatus Proprium recitare latine, sed cum fidelibus liceat etiam ei cantus hungaricos cantare.

✠ ALEXANDER KovÁCS  
*Episcopus Sabariensis*

#### MELITA

Instauratio liturgica in Provincia Ecclesiastica Melitensi duobus gradibus introducta est, ut sufficiens praeparatio cleri populique obtineretur.

Prima pars huius instaurationis, nempe usus linguae vernaculæ in

aliquibus partibus Missae, prima dominica Adventus, vi decreti « Consilii ad exequendam Constitutionem de Sacra Liturgia » (Prot. n. 948/64) introducta est.

### I. INCEPTA

1. Ut felix exitus quantum fieri potest obtineretur, praeparationem proximam his qui sequuntur modis Commissio Liturgica fieri iussit:

a) Conventus cleri in singulis paroeciis a Commissione Liturgica habiti sunt, ita ut difficultates quae oriturae forent solutionem haberent. Relatio circa huiusmodi conventus a secretario Commissionis ad Archiepiscopum, quae difficultates necnon solutiones propositas indicaret, exarata fuit.

b) Paucis diebus ante primam dominicam Adventus duo conventus plenarii pro clero, necnon alii pro commentatoribus et pro membris Associationum Catholicarum habiti sunt.

c) Instructio populo transmissionibus radiophonicis et televisificis tradebatur, ita ut spiritus instauratio fere ab universo populo cognosceretur.

2. *Applicationes*: Vi supra citati decreti lingua melitensis introducta est in partibus Ordinarii Missae quae sequuntur nempe: *Gloria*, *Credo*, *Orate fratres*, *Sanctus*, *Pater noster* cum sua introductione, *Agnus Dei*. Praeterea *Lectiones*, *Epistolae* et *Evangelia* lingua *melitensi* proclamantur in omnibus Missis sive lectis sive in cantu.

3. *Publicationes*: Hae publicationes a Commissione Liturgica editae sunt ut haec prima instauratio felicem exitum haberet:

a) *Excerptum e Missali Romano pro Dominicis et Festis de praecopto inde a Dominica prima Advenuts usque ad Dominicam Quinquagesimae*: hoc opusculum versionem in linguam vernaculam eorum partium Proprii et Ordinarii Missae, quae dicendae erant lingua melitensi, ad usum celebrantis continebat.

b) *Direttorju tal-Quddiesa*: opusculum ad usum fidelium Ordinarium Missae necnon versionem Epistolarum ac Evangeliorum omnium dominicarum dierumque festorum de praecopto continens. Decem millia exemplaria huius opusculi impressa ac vendita sunt.

c) *Il-Quddiesa mas-Sacerdot — Manwal tal-Kummentatur*: Opusculum ad usum Commentatoris.

## II. EXITUS

Secunda pars instauracionis in nostra Provincia die 7 martii praeteriti introducta est, cum *Instructio* ad execucionem Constitutionis de Sacra Liturgia necnon novus *Ritus servandus* vigere incepérunt.

### 1. *Praeparatio*:

Quo melius clerus populusque ad hanc instauracionem praepararentur, Commissio liturgica Hebdomadam liturgicam pastoralem habuit. Duo conventus plenarii pro clero, alter pro monialibus, necnon duo alii pro membris Associationum Catholicarum habitu sunt. Ad aestimationem instauracionis fovendam post unumquemque conventum Missa iuxta novum ritum « ad experimentum » celebrata est. Tandem ut digna conclusio huius hebdomadae, adstante magno concursu cleri et populi, in ecclesia Con-Cathedrali S. Ioannis Baptistae, civitatis Vallettae, Exc.mus Archiepiscopus Melitensis Sacrosanctum Missae Sacrificium una cum sexdecim aliis repreäsentantibus cleri Provinciae Melitensis con-celebravit.

### 2. *Publicationes*:

a) *Appendix Missali Romano addenda*: Liber versionem in lingua melitensem textuum liturgicorum pro Missis dominicarum die rumque festorum de pracepto continens.

b) *Commune Sanctorum*: Liber ad usum cleri pro Missis feriabilibus celebrandis, cui gradatim adduntur fasciculi cum versione melitensi Proprii de Tempore et Sanctorum.

c) *Triduum Sacrum-Supplementum*: Versio vernacula lectionum, Epistolarum et Evangeliorum etc. pro Triduo Sacro.

d) *In Collatione Sacrorum Ordinum*: Allocutiones et admonitiones Episcopi in collatione Sacrorum Ordinum, in lingua vernacula versae.

e) *Manual tal-Lettur*: Opusculum ad usum lectoris in celebra-tione Missae.

f) *Ir-Rit gdid tal-Quddiesa Letta*: Opusculum ad usum fidelium in celebratione Missae. 200 milia exemplaria impressa ac vendita sunt.

g) Cantus populares qui ad Introitum et Offertorium Missae cani possent.

*3. Applicationes:*

Praeter quam in iam citatis partibus Missae, lingua melitensis vi decreti « Consilii » diei 10 novembris 1964 (Prot. n. 1872/64) introducta est :

- a) in cantibus Proprii, nempe in antiphonis ad Introitum, Offer torium et Communionem cum suis psalmis, necnon et in cantibus inter lectiones occurrentibus;
- b) in Oratione fidelium;
- c) in acclamationibus, salutationibus et formulis dialogi;
- d) in embolismo post Orationem dominicam;
- e) in formulis ad Communionem fidelium;
- f) in formulis a sacerdote proferendis scilicet Oratione collecta, Oratione super oblata, Postcommunione, et Oratione super populum.

In pluribus paroeciis et ecclesiis religiosorum diebus dominicis et festis de pracepto habetur diaconus et lector fere in omnibus Missis.

*4. Exitus:*

Absque dubio fideles instaurationem liturgicam magno cum plausu acceperunt, et diebus ferialibus in Missis quae lingua vernacula celebrantur maior populi concursus habetur.

**III. DIFFICULTATES**

Instaurationem liturgicam aliqui aegro tulerunt quia

1. modus loquendi S. Scripturae multum differt ab hodierno et usitato loquendi modo;
2. innovationes liturgicae multum operae et laboris postulant.

**ARTURUS SAID PULLICINO**  
*a Secretis Comm. lit. Prov. Melitensis*

**SUECIA**

I. Inde a die dominica 7 martii h. a. introducta sunt quae prae scribuntur in Constitutione necnon et quaedam ulteriores modificatio nes editae ab Apostolica Sede, parochis concessa libertate, secundum eorum prudens iudicium, respectu habito conditionis fidelium, in missis

cum populo celebratis uti lingua vernacula aut in toto ambitu Constitutionis aut solum in epistolis et evangeliis praelegendis.

Concelebratio aliquoties tantum acta est, in qua omnes presbyteri bibebant ex eodem calice Missae.

In ritibus Baptismi et Matrimonii quaedam partes dicuntur lingua vernacula, at non Paenitentiae et Unctionis infirmorum — deficientibus textibus approbatis, qui tamen praeparantur.

**II. Quoad DIFFICULTATES:** non pauci aegerrime ferunt linguam latinam e missa abrogari.

### III. Quoad OPTIONES:

1. Liceat uti lingua vernacula in praefatione et in fine Canonis, ad *Per ipsum.*

2. Introducatur forma aliquomodo simplicior embolismi *Libera melius correspondens stilo, ut ita dicamus, lapidario orationis dominicae.*

3. Multo plures epistolae eaeque aptae e Veteri Testamento habentur.

4. Concedatur pro dominicis infra annum praefatio nova, quae melius quam praefatio Trinitatis praedicet characterem paschalem uniuscuiusque diei dominicae.

5. Simplicior fiat ritus Baptismi et adulorum et parvulorum.

IOANNES HENRICUS VON ESSEN  
*Vicarius generalis Holmiae*

## CEYLON

(Provincia ecclesiastica Columbensis)

Incolae varie utuntur linguis vel Sinhala vel Tamilica vel Anglicâ iuxta genus et consuetudinem vitae, at permixtae inveniuntur praesertim in urbibus, oppidis et in locis « migrationis » a regimine Britannico excultis.

### I. INCEPTA

1. Commissio nationalis de Liturgia constituta est, Praeside Archiepiscopo Columensi-in-Ceylon, Vice-Praeside Episcopo Trincomaliensi, cum membris Sacerdotibus pro unaquaque Dioecesi.

2. Commissio Dioecesana similiter constituta est in unaquaque Dioecesi.

3. Textus pro versionibus Sinhala, Tamilica et Anglicā a Coetu Episcoporum probati confirmationem adepti sunt « Consilii ad Exequandam Constitutionem de Sacra Liturgia » (cf. Prot. N. 1831/64 diei 18.11.1964 ac Prot. N. 1066/65 diei 9.3.1965).

Adhibentur per totam Insulam (Provinciam) iuxta exigentias populi circumstantis a pastoribus prudenter aestimatas, iam a promulgata confirmatione Sanctae Sedis.

4. Sub vigilantia Ordinariorum, nova altaria eriguntur ac vetera modificantur in ordine ad instaurationem liturgicam « post-conciliarem » (v. g. pro Missa versus populum).

## II. EXITUS

Haec incepta exitum sat bonum obtinuerunt. Omnes enim « cum Ecclesia sentire » cupientes, valido conatu contendunt ut res ad optatum deducatur finem (nempe, ut ad gloriam Dei in excelsis, cultus Dei in Ecclesia ita exhibeat ut omnes simul et singuli « celebrando proficiamus ac proficiendo (melius) celebremus » et sic Ecclesia ipsa « numero et merito » membrorum augeatur, donec « in Israeliticam dignitatem totius mundi transeat plenitudo ».

Iuxta circumstantias vero locorum et personarum, hic vel illic incepta facilius ac citius introducuntur; profectus animarum promptior ac uberior videri potest vel secus.

## III. DIFFICULTATES

1. *Discrepanzia rituum* intra fines parvulae huius Insulae, ex hoc orta quod (ut diximus) haud pari passu incepta in variis sat vicinis locis introducta sunt, « admirationem » populi, suscitat. Queruntur nonnulli de subitanea suppressione consuetudinum diu vigentium quae nihil praese ferunt reprehensibile, immo e prudenti aestimatione circumstantiarum a patribus inductae, haud parum boni pariunt.

2. *Textus* versionum quamvis substantialiter cum originali conformes, poliri ac perfici indigent. At, praesertim ubi de lingua Sinhala agitur, criteria secundum varias « scholas » fluctuant ita ut quandoque, pro uno tantum termino aptius, elegantius, purius reddendo, tot sint sententiae

quot capita ac sine fine disputetur. Quod a fortiori valet cum iam non de nitiditate verborum sed de metro ac prosodia quaestio movetur.

Ex hoc consequitur nullum textum pro lingua Sinhala hucusque propositum esse qui omnium sibi vota conciliarit criticorum. Talis textus adhuc in incude positus est ac solo experimento diurno probari potest. Quod quamdiu desideratur ac exspectatur, modus pro cantu vix componi potest.

3. *Ex intempestiva festinatione* in ritibus externis introducendis quin fideles prius mente ac animo sufficienter praeparentur (sive singuli sive ut communitas), plura incommoda oriuntur. (Aliqui promotores novae instauracionis ideis callent, sed forsitan intima carent cognitione indolis ac usus populi necnon habituali actione pastorali).

#### IV. PROPOSITIONES

1. Invigilandum est ut intra fines eiusdem nationis uniformitas magis servetur. Proinde, etiam ubi secundum *Constitutionem* vel *Instructionem* datur facultas unam vel aliam formam servandi, Coetus Episcoporum ius habere debet formam quam opportunam iudicat imponendi pro omnibus.

2. In altaribus aptandis curandum est ut idem altare adhiberi possit pro Missa sive versus ad populum sive non. Hoc quidem propter Missas absque populo celebrandas. Incongruum enim videtur Missam celebrare ad navem Ecclesiae fere vacuam versus, ut in feriis hebdomadae accidere potest.

3. Expedire videtur ut in fine Missae, recitata oratione post Communionem celebrans statim dicat « Placeat tibi », deinde versus ad populum, dicto « Ite, missa est », statim benedictionem impertiat verbis « In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Incongruum videtur, maxime ubi adhibetur lingua vernacula, ut post « Ite, missa est », celebrans iterum se vertat ad altare « Placeat tibi » dicturus ac tunc tandem populo benedicat.

✠ THOMAS Card. COORAY, O. M. I.  
Archiepiscopus Columbensis-in-Ceylon

## COREA

Reverendissimi Ordinarii Coreae in coetu mense aprilii 1964 habito Commissionem Nationalem de re liturgica statuerunt atque decreverunt ex unaquaque dioecesi saltem unum et ad summum tres sodales s eligendos esse. Inter Ordinarios unus electus fuit praeses Commissionis.

In primo coetu Commissionis tres sodales selecti sunt ut praesides trium subcommissionum, scilicet, de Liturgia, de Musica sacra et de Arte christiana.

Tunc iuxta artt. 18 et 19 *Constitutionis* de sacra Liturgia instauranda tres sacerdotes eiusdem Commissionis nationalis peregrinantes per omnes dioeceses sacerdotibus adunatis scopum et spiritum instauracionis liturgicae explicaverunt. Breve conspectum historicum liturgiae Missae necnon interpretationem *Instructionis* S. C. R. (sept. 1958) et *Constitutionem* Concilii Vaticani II necnon sacram Verbi Dei celebrationem exposuerunt.

Tunc ad normas *Constitutionis* (articulo 35, 4) et *Instructionis* S. R. C. (sept. 1964) eadem Commissio incepit praeparationem Sacrae Verbi Dei celebrationis, adhibendae in omnibus locis ubi deficiente sacerdote die dominica fideles congregantur ad preces communes.

Commissio Nationalis hucusque sex vicibus conventum egit. In ultimo conventu eadem Commissio usum linguae vernaculae in partibus Missae et Sacramentorum ad Ordinarios Coreae proponit, et Decreta dierum 15-17 februarii probata seu confirmata sunt a « Consilio » die 3 aprilis 1965 (Prot. n. 1522/65).

Inter opera ab hac Commissione incopta sed non conclusa includuntur:



1. Versio coreana Litterarum Encyclicarum Pii XII, « Mediator Dei ».


2. Oratio fidelium pro variis opportunitatibus.

3. Studium de festis et de moribus coreanis.

In coetu Ordinariorum Coreae habito in mense febrero 1965 statuitur ut tres sub-commissiones, scilicet de Liturgia, de Musica sacra et de Arte christiana separatim laborent sub auctoritate eiusdem Episcopi Praesidis atque ab unaquaque dioecesi unus sacerdos nomi-

Rome. Die Pentecostes Paulus VI concelebrat cum 25 Rectoribus Seminariorum Urbis. Waldkirch (Germania): Ecclesia paroecialis pulchre disposita pro celebratione versus populum. Ambo tamen nimis in partem esse videtur; minus apte disponitur tabernaculum in columna, cum incongrue ministri cum ad sedes pergunt ante ipsum transire cogantur.





naretur in singulis commissionibus. Subcommissiones mox separatim habebunt coetus, et coetus generalis habebitur in mense iunii vel iulii.

Quoad DIFFICULTATES: Adhuc non adest versio totalis S. Scripturae in lingua coreana.

✠ GULIELMUS J. MC NAUGHTON  
*Episcopus Inchonensis*

## FORMOSA

### I. INCEPTA

Anno elapso Conferentia episcopalnis bis conventum celebravit et, actis ab Apostolica Sede probatis seu confirmatis, linguam vernaculam admisit:

1. in administrandis Sacramentis Baptismi, Confirmationis, Matrimonii et Unctionis Infirmorum necnon in administrandis omnibus Sacramentalibus;

2. in Missis, quae cum populo celebrantur, et quidem:

a) in proferendis Lectionibus, Epistola et Evangelio, necnon in oratione communi seu fidelium;

b) in cantibus Ordinarii Missae, nempe: *Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus-Benedictus et Agnus Dei*;

c) insuper in acclamationibus, salutationibus et formulis dialogi, precibus ad pedem altaris dicendis non exceptis, in formulis: *Ecce Agnus Dei; Domine, non sum dignus et Corpus Christi* in communione fidelium, et in oratione dominica cum sua admonitione et embolismo.

Supradictum decretum de usu linguae vernaculae tam in Missis celebrandis quam in administrandis Sacramentis et Sacramentalibus vigere incepit die 7 martii huius anni.

### II. EXITUS

Ad fovendam instaurationem liturgicam a Conferentia episcopalni constituta est Commissio liturgica uno episcopo et pluribus sacerdotibus constans, cuius ope non tantum parata est communis epistola pastoralis de instaurazione liturgica tractans et ab omnibus locorum Ordinariis subsignata, immo et haud semel habitus est coetus sacerdotum, qui huic instauracioni studebant et Missam iuxta novas normas lingua vernacula celebrarent « ad experimentum », praesentibus quoque studentibus uni-

**Mediolani.** Nobilis ambo cum imagine « Beatitudinum » in ecclesia S. Leonis Magni.

**Assisi (Italia):** Nova dispositio altaris in ecclesiola « Pro Civitate christiana » altare cum parvo tabernaculo, sedes, ambo.

versitariis, magistris scholarum secundariarum, piis associationibus, catechistis aliisque christianis.

Notare iuvat quod nullibi Sinarum fuit admiratio populi et satis actuose iam antea liturgiae sacrae participabant, cum fideles inde a saeculis preces diversis Missae partibus adaptatas in communi recitare vel etiam cantare soliti sint. Nunc porro participatio eorum fructuosior est procul dubio, quia etiam ipsas partes Missae possunt lingua propria dicere. Ipsi igitur, sicut sacerdotes omnes, exteris non exceptis, laeto animo accipiunt instaurationem liturgicam a Sancta Matre Ecclesia introductam sive quoad novas normas sive quoad usum linguae vernaculae, et huic instauracioni et usui linguae vernaculae totis viribus satagunt sese aptare.

### III. DIFFICULTATES

Non desunt tamen difficultates quaedam:

a) quoad textus sinicos Missae: Missale namque, cuius textus ex decreto Conferentiae episcopalis adhibetur in Missa celebranda, non est pro usu publico sed privato traductum ante plures annos;

b) quoad usum limitatum linguae vernaculae: non tantum enim limitatur fructuosa participatio fidelium, cum partes ad ipsos spectantes, uti antiphonas ad introitum, ad offertorium, ad communionem et cantus inter lectiones occurentes, non possint ipsi dicere, neque intelligent partes quae valorem catecheticum et doctrinalem summi momenti habent, ut v. g. orationes, utpote quae magnam instructionem fidelium contineant, immo ipsi celebranti satis incommodum est multoties in Missa mutare Missale cum fasciculo, in quo continetur textus sinicus;

c) quoad uniformitatem: impossibilis est haec uniformitas, cum permulti sint christiani aborigenes diversarum linguarum (haec tamen difficultas exstat tantum pro senibus, iuvenes enim omnes optime cognoscunt linguam nationalem mandarinicam);

d) quoad cantum sacrum: difficile est sane cantui gregoriano aptare linguam nostram sinicam.

### IV. PROPOSITIONES

Ad solvendas supradictas difficultates sacerdotes omnes sive sinenses sive exteri ampliorem usum exoptant linguae vernaculae in omnibus partibus, ad Canonem non pertinentibus, alta voce proferendis, si id Conferentiae episcopali et Apostolicae Sedi visum erit.

Commissio liturgica parata quoque erit non tantum novas melodias linguae sinicae adaptatas parare, immo et textus Missae de novo traducere tempore opportuno iussu Conferentiae episcopalis.

✠ JOSEPH KUO, C. D. D.  
*Archiepiscopus tit. Salaminensis*

### INDONESIA

In Indonesia primi gressus instauracionis liturgicae prout in *Instructione S. R. C.* diei 26 sept. 1964 quam primum feliciter facti sunt cum animo alacri, et hic illic etiam cum animo impetuoso. Attamen propter amplitudinem regionum, propter penuriam sacerdotum et propter difficultem communicationem in tota Indonesia instauratio (primi gressus) nondum absoluta est. Ex parte fidelium generatim nulla occurrit difficultas. Solummodo usus altae vocis ex parte populo, v. gr. in celebratione Missae cum populo in aliquibus regionibus, ubi fideles secundum suam indolem aut mentalitatem submissa voce orare solent, magnam patientiam requirit. Usus linguae vernaculae affert hucusque quandam difficultatem eo quod in initio instauracionis interpretationes eiusdem linguae nationalis i. e. Indonesianae concessae sunt variae, ita ut in diversis locis alia et alia interpretatio adhibeatur cum incommodo fidelium et sacerdotum. Sed speratur ne illa difficultas longius perduret.

✠ ADRIANUS DJAJASEPOETRA  
*Archiepiscopus Djakartanus*

### AFRICA SEPTENTRIONALIS

Praesens Relatio pertinet ad tres nationes Africae septentrionalis, scilicet, Algeriam, Marocum et Tunisiam, quorum septem Episcopi residentialis in unam adunati sunt Conferentiam episcopalem.

**DECRETUM CONFERENTIAE.** — Die 20 novembris 1964, Coetus, « Consilio » pro Sacra Liturgia approbante, protulit usum latiorem linguarum vernacularum in Missis cum populo celebratis et in collatione Sacramentorum. Decretum episcopale a die 7 martii servandum erat, i. e. una cum *Instructione pontificali « Inter Oecumenici »*.

**PRAEPARATIO.** — Per quatuor menses, sacerdotes et fideles instructi sunt ut rectae ordinationi Liturgiae sacrae parati essent. Celebrations sanctae in quibusdam ecclesiis tam pro solis sacerdotibus vel religiosis mulieribus, quam pro populo, factae sunt secundum votum et regulas « Consilii » diei 21 dec. 1964 et praescripta Ordinariorum.

**EXSECUTIO.** — Ita, fere in omnibus paroeciis et a prima dominica Quadragesimae actusiorem et ampliorem participationem Sacris habuerunt. Monitio prudenter data ordinandi per partes exsecutionem Decreti, — quod tantum permittebat et non imponebat usum linguae vernaculae —, inutilis evadit: sacerdotes et laici sine difficultate practica vel theorica sentiebant cum Ecclesia. Hic et illic mora quaedam tribuenda est tantum defectui Missalium bilinguium in Europa typis impressorum.

Cum fidelium missalia versiones diversas habent, ut populus statim unanimiter cantus Missae dominicalis legat vel cantet, roneotypis evulgantur. (Attamen in paroeciis fidelium Hispanorum, actuositas liturgica non procedit eodem gradu atque in aliis).

**DIVERSI COETUS.** — In Tunisia adsunt communitates diversarum linguarum. Pro eis, interdum peragitur sacra Liturgia cum versionibus ab Episcopatu Italiae, Angliae et Germaniae approbatis.

**CONCELEBRATIO.** — Vigore indulti « Consilii », Missae concelebrae sunt a die Nativitatis Domini in diversis dioecesibus iuxta ritum servandum diei 20 iunii 1964: Rogabant sacerdotes facultatem concelebrandi cum Episcopo vel eius delegato.

Ritus et normae diei 7 martii a. c. cum gratiarum actione recepta sunt. Pastores et fideles consentiunt de tanto beneficio instaurationis antiqui ritus concelebrationis.

**FRUCTUS.** — Nostris in regionibus islamicis, fidelium coetus non sunt numerosi, Maroco adhuc excepto; instaurata Liturgia eis gaudium afferit, fidem adauget, roborat charitatis vinculum et, auxiliante oratione universali — ideo missionaria —, spiritum catholicum et studium extendit.

✠ VEDASTUS-M. JACQUIER  
*Episcopus tit. Sufasaritanus*

## ZAMBIA

## I. NOTAE PRAEVIAE

1. In hac Relatione perlegenda pree oculis habeatur quod Respublica Zambiae licet sat parva quoad extensionem territorii *octo* linguis vernaculae adhibet ad usum liturgicum, praeter anglicam. Haec « peregrina » lingua est nunc officialis et in oppidis et collegiis ad cultum divinum usurpatur.

2. Aliquae dioeceses quattuor idiomata habent quorum unum alterumve adhibetur ab aliquot tantum millibus hominum.

3. Quaedam difficultas pastoralis et liturgica Reipublicae propria oritur ex congerie hominum diversarum linguarum in oppidis ubi aes vel alia metalla fodiuntur.

4. Ideo antequam introducta esset per totam nationem lingua communis longe diversus fuit liturgicus usus linguarum vernacularium inter dioeceses rurales (ubi vigebat una lingua) et dioeceses in locis industrialibus (ubi plures linguae erant). Ruralibus iam concessa erat facultas adhibendi Rituale vernaculum, pro lingua Chinyanga inde ab anno 1958, pro Chibemba ab anno 1961, necnon cantandi Ordinarium Missae lingua vernacula.

5. Cum antea in paucis tantum dioecesibus Missa dialogata quacumque sub forma introducta fuerit, opus nunc erit in reliquas inducere simul lingua vernaculam et participationem fidelium in Missa.

## II. INCEPTA PRAECIPUA AD INSTAURATIONEM PARANDAM

1. In plenario conventu RR. DD. Episcoporum Zambiae mense iulio 1964 habito statutum est ut lingua vernacula recitarentur *a) Epistola, Evangelium et dialogus ante Evangelium simul ac facultas S. Sedis obtenta sit; b) Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus, Agnus Dei, Dominus vobiscum* inde a 1<sup>a</sup> dominica Adventus 1964; *c) aliae mutationes a 1 ianuarii 1965.*

2. De facto tamen in pluribus dioecesibus haec proposita expleri non potuerunt propter moram in facultate obtainenda: rogati sunt Episcopi dum Romae commorabantur proposita de novo subicere secundum aliam « Instructionem » interim datam; propterea tempus introducendi mutationes ad 1.am dominicam Quadragesimae remittitur.

3. In conventu supra dicto constituta est Commissio liturgica nationalis, constans membris ex commissionibus dioecesanis, cuius director est Ordinarius, qui praeest Liturgiae rebusque ecclesiasticis.

4. Ingens beneficium populo subsecutum est introductione linguae vernaculae cum prius quasi penitus ignoraret quid ageretur.

5. Beneficium proveniens ex aliis mutationibus liturgicis magnum est, non facile adhuc aestimandum.

6. Libellus « Living Liturgy » in seminario maiori Kachebere paratus distributus est inter clerum et religiosos, quo facilius ante 1.am dominicam Quadragesimae populum instruere possent.

7. In aestimando beneficio inde sperando distinguendum est inter congregations ecclesiarum et fideles in stationibus missionalibus remotoribus, qui magna ex parte illitterati responsa Missae et significaciones actionum liturgicarum non sine difficultate discere possunt. Ideo longe maius tempus requiritur in liturgia instauranda apud hasce stationes eo magis quod semel tantum in mense vel rarius a sacerdote invisuntur. Addendum tamen est quod, cum iam praesto sint interpretationes vernaculares pro sacra caeremonia Verbi, catechistae et orationum duces magis uti poterunt textibus liturgicis inter cultum divinum in locis ubi sacerdos non habetur.

8. In plenario conventu mensis iulii 1964 statuerunt Episcopi ut lingua vernacula adhiberetur in omnibus Hebdomadae Sanctae caeremoniis; in ritibus dierum Rogationum; in Sacramentis, inclusis exorcismis, unctionibus, benedictionibus necnon in forma (excepta forma Ordinum Sacrorum); in omnibus Sacramentalibus et benedictionibus, inclusis cinerum et candelarum.

9. Statuebant quoque, unanimi consensu, facultatem dare sacerdoti spectandi populum dum Sacrum litabat, necnon omittendi vel potius abolendi Benedictionem SS.mi post Missam.

### III. STATUS RERUM PRAESENS

1. Plures interpretationes vernaculares iam approbatae sunt a « Consilio » inter quas:

lingua *Tonga*: *Rituale*, partes 1 et 2; *Ordinarium Missae*; *Evangelia*;

- lingua *Kaonde*: Ordinarium Missae;
- lingua *Lozi*: Ordinarium Missae;
- lingua *Lunda*: Ordinarium Missae; Propria 4 dominic. Quadragesimae;
- lingua *Bemba*: Ordinarium Missae; Rituale; Propria a die Cinerum ad Ascensionem;
- lingua *Nyanja*: Ordinarium Missae; Officium Hebdomadae sanctae; Rituale; Propria a 1.a dominica Quadragesimae ad Pascha.

2. Fervet opus vertendi in unamquamque linguam vernaculam, sed prae oculis habendum est quod labor improbus exigitur propter parvum numerum sacerdotum ad id aptorum et ex eo quod hucusque tota Biblia catholica in nulla lingua vernacula habetur.

#### IV. PROPOSITIONES AD ULTERIUS PROCEDENDUM

1. Minus gratum fuit responsum a « Consilio » datum proposito RR. DD. Episcoporum ut Missalia imprimi possent linguis vernaculis omisso textu latino. Habita enim ratione numeri linguarum vernacularum et paupertatis Missionum exterarum fere impossibile erit in lucem edere Missalia latina et vernacula. Immo opes finanziariae parum sufficientes poterunt etiam aliis modis instaurationem liturgicam impedire nisi ratio habeatur huius peculiaris condicionis missionalis.

2. Spem fovent RR. DD. Episcopi ut mox permittatur recitatio vernacula *Per Ipsum*, sub finem orationis eucharisticae ita ut magnum *Amen* suam significationem pro fidelibus habeat eo magis quod deinceps elata voce pronuntiandum erit.

3. RR. DD. Episcopis acceptum quoque esset ut verba Consecrationis elata voce proferri possent a celebrante (licet adhuc latine).

 FIRMINUS COUTEMANCHE  
*Episcopus de Fort-Jameson*

#### HONDURIA

##### I. INCEPTA

Iam ineunte anno 1964 Episcopi hondurienses consilia de hac re inierunt.

Imprimis, decreverunt incipere instaurationem liturgicam ab administratione et receptione Sacramentorum, praesertim a Matrimonio, eo quod, decursu temporis, tot abusus irrepserint quoad ornatum altaris et ecclesiae in caeremoniis nuptialibus.

Romae, occasione Concilii Oecumenici coadunati, Decretum dede-  
runt pro tota Republica in quo sancta fuit « classis unica » pro admini-  
stratione Baptismi et Matrimonii, et pro Exequiis; ita ut neque ditiore  
sollemniorem nec pauperes minorem haberent, sed omnibus aequalem  
caeremoniam, dignam quidem. Hoc decretum vim habuit a die 1 ianua-  
rii 1965.

## II. EXITUS

Secundus gressus fuit usus linguae vernaculae et participatio fide-  
lium in celebratione Missae.

Ita statuerunt ut sacerdos dicat lingua vernacula maiorem partem  
textuum qui elata voce proferuntur; fideles vero participant respon-  
dendo ad omnes salutationes, *Kyrie et Pater*; sed tempore quo haec  
relatio fit iam etiam audiuntur fideles recitantes una cum celebrante  
*Gloria et Credo*.

Haec participatio aequalis fuit pro tota Republica et obligatoria  
diebus dominicis in omnibus ecclesiis et oratoriis. Conferentia Episcop-  
alis curavit ut unusquisque sacerdos recipere « Instructionem Dio-  
cesanam » de hac re ut incepta haec aequalia sint ubique.

Quae participatio et usus linguae vulgaris frequentiam Sacro vere  
auxit, non tantum diebus dominicis sed etiam ferialibus; et quidem  
haec frequentia crevit praesertim inter viros.

Usus linguae vulgaris ita placuit ut Conferentia Episcopal peti-  
tionem acceperit ut hic usus diebus etiam ferialibus concederetur. Quod  
nuperrime factum est.

## III. DIFFICULTATES

Recenter quaedam confusiones vel parva problemata exorta sunt  
praesertim post conventus vel colloquia de re liturgica inter clericos  
et religiosos, v. g. quoad « processionem oblatorum », de recipienda  
communione stando vel genuflectendo, de situ tabernaculi, et alia  
huiusmodi.

✠ JOSEPHUS CARRANZA CHÉVEZ  
*Episcopus S. Rosae de Copán*

---

## PANAMA

## I. INCEPTA

Laeto animo omnes Ordinarii, iam a sessionibus Romae nuper habitis per litteras pastorales, intendimus clerum, religiosos et fideles praeparare ad instaurationem praecipue in celebratione Missae.

## II. EXITUS

Die 7 martii lingua vernacula uti incepimus in tota Republica, necnon variationibus liturgicis a « Consilio » praescriptis; et revera non sine notorio *exitu* primae applicationis pro fidelibus, praesertim in ecclesiis praecipuarum civitatum in quibus sacerdotes, parochi et rectores ecclesiarum, enixi sunt regulas et spiritum instaurationis ad felicem exitum perducere.

## III. DIFFICULTATES

1. Patet naturalis difficultas hos fructus assequi in pagis vel apud nostrates non sufficienter in doctrina christiana instructos ob penuriam sacerdotum.

2. Aliae difficultates exortae sunt e diversitate versionum in libris missalibus a « Consilio » nobis concessis. Illae difficultates minuerunt cum ad nos pervenit versio « Ordinarii Missae » a C.E.L.A.M. recognita et a « Consilio » approbata.

3. Alia difficultas evenit, et non videtur praetereunda, e diversitate accommodationis celebrantis, ministrantium et lectorum perdurante liturgia Verbi.

## IV. PROPOSITIONES

1. Unica versio imponatur pro toto populo hispanica lingua utente etsi ad diversas nationes pertineant.

2. Pressius ordinetur situs tum celebrantis, tum ministrantium et lectorum in liturgia Verbi.

3. Permaneat usus campanulae ad nuntiandam Consecrationem et in tribus assuetis vicibus in ipsa elevatione cuiusque sacrae Speciei.

THOMAS ALBERTUS CLAVEL MÉNDEZ  
*Archiepiscopus Panamensis*

# Documentorum explanatio

## D U B I A

*Solutio quae proponitur nullam induit vestem officialem. Solummodo habet valorem orientativum: solutiones enim ex officio publici iuris fient, si casus fert, a competenti Auctoritate in « Acta Apostolicae Sedis ».*

### AD INSTRUCTIONEM

Ad n. 56:

58. Utrum in Missis cum populo celebratis, oratio fidelium sit obligatoria diebus ferialibus?

*Resp.:* Diebus ferialibus non obligat.

59. Utrum Ordinario loci liceat conficere pro sua dioecesi formularia Orationis fidelium, an haec facultas exclusive sit penes Coetum Episcoporum nationis?

*Resp.:* Secundum *Instructionem* n. 56 « in locis, ubi Orationis communis seu fidelium usus non habetur, competens auctoritas territorialis decernere potest ut fiat... formulis interim ab ipsa approbatis ».

Attamen, in formulis exarandis, maxime convenit ut facultas singulis Episcopis relinquatur addendi unam alteramve intentionem, quae necessitatibus cuiusque dioecesis vel loci respondeat.

60. Utrum liceat rectoribus ecclesiarum addere ad formularium quod-dam unam alteramve intentionem ad Orationem fidelium secundum necessitates locales?

*Resp.:* Licet, immo valde convenit, eadem ratione, quae supra, pro dioecesibus, indicatur.

Ad n. 78:

61. Utrum Religiosi « choro adstricti » adhuc obligentur ad recitationem Horae Primae?

*Resp.:* Ex recenti concessione (2 iunii 1965) Apostolica Sedes remisit Superioribus Maioribus religiosis, ut secundum prudens eorum iudicium, statuant Horam Primam retinere aut facultativam declarare pro suis subditis.

**Ad n. 91:**

62. Utrum stabiliter extrahatur altare portatile ante altare maius ad celebrandam Missam versus populum?

*Resp.:* Per se licet, sed non consulitur. Nam Missa ad normam novi Ordinis celebrata, optime participatur a fidelibus etiam si altare ita exstruitur ut celebrans terga ad populum vertat. Tota enim liturgia verbi celebratur versus populum, ad sedem vel ad ambonem.

Si autem, his non obstantibus, ecclesiae rector aestimaverit aliud altare, portatile, collocare ante altare maius, hoc ponatur *ad tempus*, et inter utrumque altare intervallum vere notabile intercedat, et altare portatile circa se habeat satis magnum spatium ad modum presbyterii.

**Ad n. 95:**

63. Utrum, si altare maius versus populum exstruitur, ad mentem *Constitutionis et n. 95 Instructionis SS.ma Eucharistia asservari* conveniat in altari minori ab altari principali distincto?

*Resp.:* Affirmative.

64. Utrum licet sacramentum coram SS.mo Sacramento exposito, in altari portatili, in eodem loco altaris expositionis, sed ab eo distincto?

*Resp.:* Negative. Nec potest in oppositum afferri *Cod. rubr.* n. 349 agens de Missa die medio occasione quadraginta Horarum, quae celebri debet « in altari ubi Ss.mum Sacramentum non est expositum ». Nam agitur de altari, ita ab altari expositionis distincto, ut non impediatur adoratio Ss.mi Sacramenti.

**AD RITUM SERVANDUM IN CELEBRATIONE MISSAE****Ad n. 14:**

65. Utrum licet celebranti in Missa versus populum celebrata, dicere preces ad gradus altaris terga vertens populo?

*Resp.:* Licet.

**Ad n. 35:**

66. Quomodo gerere se debeat celebrans in Missis, v. g. fer. IV Quat. Temp., sabb. Quat. Temp., fer. IV post dom. IV Quadrag. etc., cum ipse lectiones omnes legere teneatur, deficiente idoneo lectore?

Utrum pro unaquaque oratione debeat ab ambone recedere et ad sedem (vel ad altare), accedere ad pronuntiadam orationem?

*Resp.:* Potest in casu etiam orationes proferre ex ambone.

Ad n. 47:

67. Utrum celebans, deficiente lectore seu ministrante idoneo, praeter lectiones, proferre possit ex altari « versus ad populum » etiam Graduale, Alleluia, Tractus, etc., si non cantentur vel legantur a schola vel a populo?

*Resp.:* Potest.

Ad n. 49:

68. Utrum genuflectendum sit ad verba *Et incarnatus est...* in festo Nativitatis Domini tantum, an durante tota Octava.

*Resp.:* Die 25 decembris tantum.

69. Utrum genuflectendum sit ad verba *Veni, sancte Spiritus* in Missa dominicae Pentecostes tantum, an etiam durante tota octava?

*Resp.:* In dominica Pentecostes tantum.

Ad n. 51:

70. Quando dicitur *Credo* in Missis lectis debetne celebans post Evangelium ad altare ascendere, vel ad sedem recedere, et iterum ad ambonem accedere pro oratione fidelium?

*Resp.:* In Missis lectis, quando celebans ipse legit Evangelium ad ambonem, *Credo in unum Deum* intonet, iuxta *Ritum servandum* n. 50 « ad sedem vel ad altare ». Ex eodem loco, potius quam ex ambone, ut vitetur nimis frequens mutatio loci, dirigat orationem fidelium (cf. *Ritum servandum* n. 51).

Ad n. 61:

71. Quid facere debet celebans, cum *Sanctus* a schola tantum, musica « polyphonica » canitur?

*Resp.:* Interim opportunius videtur nihil mutare et celebrantem statim inchoare *Te igitur* dum canitur *Sanctus*.

## Ad n. 83:

72. Utrum liceat diacono, vi consuetudinis et magnae christifidelium affluentiae, in Missa sollemini ministerium suum ad altare relinquere ad sacram Communionem distribuendam?

*Resp.:* Negative. Quod vetitum fuit iam per *Cod. rubr.* n. 502: « Tempus proprium sanctae Communionis fidelibus distribuendae est infra Missam, post Communionem sacerdotis celebrantis, qui ipsem etiam potentibus distribuat, nisi propter grandem communicantium numerum conveniat, ut ab alio vel ab aliis sacerdotibus adiuvetur ».

Dedecet omnino, ut in eodem altari, in quo actu Missa celebratur, ab alio sacerdote (sive in casu: a diacono) sancta Communio distribuatur, extra tempus Communionis proprium.

## Ad n. 84:

73. Utrum Missale pro legenda antiphona ad Communionem et subsequentem orationem in medio altaris poni possit si, deficiente ministrante apto ad calicem ex altari auferendum, calix ab ipso celebrante supra altare aliquantulum versus latus dexterum ponatur.

*Resp.:* Nil obstat ut ita fiat.

## Ad n. 87:

74. Quando fit expositio sollemnis SS.mi Sacramenti in fine Missae (ex indulto), num dicendum *Ite, missa est* et benedicendum populo, vel potius, ut feria V in Cena Domini et in festo Corporis Christi in Missa quae praecedit processionem *Benedicamus Domino* et *Placeat sine benedictione* (quod rationi magis consentaneum videtur)?

*Resp.:* Nil in ritu Missae mutetur. Agitur enim de duabus actionibus diversis et non inter se connexis.

## DE RITU SERVANDO IN CONCELEBRATIONE MISSAE

## Ad nn. 9 et 10:

75. Potestne sacerdos, qui indultum habet, diebus dominicis et festis bis aut ter Missam celebrandi, in secunda aut tertia Missa concelebrare? Et quid hoc in casu de stipendio?

*Resp.*: Ad primam partem: Facultas concelebrandi pro sacerdotibus, qui Missam singularem iam celebraverunt (semel vel bis) non est ad satisfaciendum devotioni personali; sed praevideatur tantum pro determinatis adjunctis in bonum ipsorum concelebrantium (cf. n. 9 *Ritus concelebrationis*). Iudicium vero an conveniat, ut sacerdos, qui hisce in casibus concelebrat, possit etiam celebrare singulariter in bonum fidelium, remittitur Episcopo, qui considerare debet singula adjuncta, sicut fit pro concedenda binatione vel trinazione.

Ad alteram partem: Stipendium pro Missa concelebrata recipitur ad normam iuris: ideo si haec Missa concelebrata est binata, servanda sunt normae generales C.I.C. vel indulta particularia, quae alicubi forte habentur.

#### VARIA

76. Utrum, ad uniformitatem obtinendam, quando a rubricis plures dantur possibilitates, auctoritas territorialis competens pro universa regione, vel Episcopus pro sua dioecesi statuere possit ut unica ratio ab omnibus teneatur?

*Resp.*: Per se licet. Attamen, semper oculis habendo quod non tollatur illa libertas, quae a novis rubricis praevideatur, aptandi, modo intelligenti, celebrationem sive ecclesiae sive coetui fidelium, ita ut sacer ritus universus sit revera quid vivum pro hominibus vivis.

77. Utrum ministrantes Missae lectae servare debeant veteres rubricas, praesribentes ut genuflexi maneant per totam Missam (excepto ad evangelium), an sese accommodare rationi genuflectendi, standi aut sedendi fidelium?

*Resp.*: In Missis *cum populo* ministrantes certe sese accommodare debent ordini statuto pro fidelibus, quasi eorum exemplar et speculum.

In Missis vero *sine populo* (seu « privatis »), nihil prohibet quominus veteres rubricae serventur.

78. Utrum absolutio super tumulum facienda sit tantum praesente cadavere, aut adhuc fieri possit post alias Missas?

*Resp.*: Num. 401 *Codicis rubricarum* servat valorem suum. Convenit tamen ut absolutio habeatur solummodo praesente cadavere.

## Bibliographica

*In hac « rubrica » elenchabimus publicationes, quae ad Redactionem mituntur. A iudicio operum abstinebimus, salva una aliave annotatione characteris pure editorialis. Ipsa inscriptio cuiusdam operis in hoc elenco nullum includit operis iudicium.*

- E. BEAUCAMP - P. PASCAL DE RELLES, O.F.M., *Israel regarde son Dieu* (= Collection Bible et Vie chrétienne). Tournai, Castermann, Editions de Maredsous, 1964. In-8°, 140 pp.

*La construction des églises. Directoire pastoral.* Montréal, Editions Commission diocésaine de liturgie, 1965. In-16°, 64 pp.

- E. FOURNIER, *L'homélie selon la Constitution de la sainte Liturgie.* Bruxelles, « Lumen Vitae », 1964. In-8°, 163 pp.

- J. B. O'CONNELL, *The order to be observed in the celebration of Mass.* London, Burns and Oates, 1965. In-8°, 72 pp.

*Transalito anglica Ordinis Missae, ritus servandi in celebrazione Missae et de defectibus.*

*Messale romano festivo.* Alba, Edizioni Paoline, 1965. In-24°, 704 pp.

IOACHIM NABUCO, *Pontificalis Romani expositio iuridico-pratica.* Tournai, Desclée & Cie, 1962. In-8°, 956 pp.

IOACHIM NABUCO, *Ius Pontificalium. Introductio in Caeremoniale Episcoporum.* Tournai, Desclée & Cie, 1956. In-8°, 404 pp.

---

*I canti dell'Assemblea.* Edizioni liturgiche del Cardinale Lercaro, a cura del C.A.L.A.B., Bologna 1965. 18,5 × 13,5 cm, pp. 56 cum appendice cantuum, praesertim psalmorum lingua italica ab associatione editoriali ECAS (« Editori Canti a Scheda ») editorum.

Opus continet cantus pro ingressu, graduali, offertorio, communione et fine Missae, secundum diversa anni tempora distinctos. In fine dantur melodiae quae-dam pro festis marijanis.

ECAS, Associazione Italiana « Editori Canti a Scheda ». *Sedes:* Libreria Dottrina Cristiana (LDC), Torino-Leumann.

Publici iuris facit cantus sacros, in schedis separatis, in actionibus liturgicis nec non in piis exercitiis adhibendos.

Habentur melodiae pro psalmis 129, 117, 66, 144, 83, 97, « Messa popolare in italiano », « Messa conciliare in lingua italiana » et alii cantus pro diversis opportunitatibus.

*Living Worship.* A Project of the « Liturgical Conference », 2900 Newton St., N.E., Washington, D.C.

« Liturgical Conference » inde a mense aprili huius anni hoc periodicum de sacra Liturgia, praesertim sub aspectu practico publicat. Prodit semel in mense (exceptis mensibus iulio et augusto).

Ad excitandam attentionem fidelium ad Evangelium dominicae edita est series inscriptorum praeconiorum (manifesti, Plakat), 21 × 29 cm., in colo-ribus diei dominicis propriis cum indicatione ideae centralis ipsius pericopae Evangelii. Prostat apud Veritas (Katholische Schriftenmission) Linz a. d. Donau, Harrachstr. 5, Austria.

LIBERIA EDITRICE VATICANA

Ordo Missae  
et Ritus servandus  
in celebratione Missae

Editio typica

In-16°, pp. 72, L. 800 (\$ 1,40)

Recens *Instructio de sacra Liturgia quasdam induxit variationes rituales in Missam, integra atque immutata manente eius generali structura. Revisio proinde sive Ordinis Missae, sive Ritus servandi omnino necessaria erat, ut omnia in cultu divino secundum ordinem fiant.*

Kyriale simplex

Editio typica

In-16°, pp. 48, L. 600 (\$ 1)

Modi simpliciores qui exhibentur ii sunt, qui, sive in Editione Vaticana, sive in aliis fontibus ritus romani, ambrosiani et hispanici reperiuntur.

Partes ita disponuntur, ut, praemissis antiphonis *Asperges* et *Vidi aquam*, quinque schemata simplicia Ordinarii Missae efficiant, quae tamen nullam ex se relationem habent cum gradu festivitatis dierum liturgicorum. Attamen singulæ partes numeris progradientibus distinguiuntur, quo facilius evadat, si placet, Ordinarium Missae, partibus ex diversis schematibus selectis, componere. Tandem unicus ponitur tonus monitionum in fine Missae *Ite, missa est*, et *Benedicamus Domino*; ultimo denique quattuor praebentur toni pro *Credo*.

Ad modum *Appendicis* duo exhibentur toni ad orationem dominicam ab universo fidelium coetu una cum celebrante decantandam.

Cantus

qui in Missali romano desiderantur iuxta Instructionem ad exsecutionem Constitutionis de sacra Liturgia recte ordinandam et iuxta ritum Concelebrationis.

In-16°, pp. 36, L. 600 (\$ 1)

Melodiae quinque partibus distribuuntur: I. Tonus orationis super oblatæ; II. Toni Canonis (usualis, ad libitum) ab *Hanc igitur ad Supplices* inclusive; III. Toni doxologiae Canonis (simplex, sollemnis); IV. Toni orationis dominicæ, quando a pluribus decantatur (usualis, ad libitum); V. Tonus embolismi. Sequitur *Appendix*: I. Toni pro *Hanc igitur* propriis; II. Specimina quaedam tonorum pro «Oratione fidelium»: agitur de octo melodiis, quae textibus etiam lingua vernacula exaratis perbelle aptari possunt.

# **LIBRERIA EDITRICE VATICANA**

---

## **Variationes in Ordinem Hebdomadae sanctae inducendae**

**Editio typica**

**In-16°, pp. 24, L. 250 (\$ 0,40)**

Continet Missam Chrismatis feriae V in Cena Domini recognitam, idest cum novis pericopis, necnon cum textibus et melodiis simplicioribus, depromptis ex edendo Graduali simplici, *ad libitum* adhibendis, loco illarum quae adhuc in usu sunt.

Praebet rubricas ad simpliciorem formam redactas pro consecratione Oleorum et quosdam textus mutatos in orationibus sollemnibus feriae VI in Passione et Morte Domini.

## **Ritus servandus in Concelebratione Missae et Ritus Communionis sub utraque specie**

**Editio typica**

**In 16°, pp. 104, L. 900 (\$ 1,50)**

In libello, affabre excuso, habentur Ritus concelebrationis et Communionis sub utraque specie a « Consilio ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia » parati, et a Sacra Rituum Congregatione promulgati. Additur Canon Missae ad usum concelebrantium, et melodiae textuum, qui cani permittuntur.

## **De oratione communi seu fidelium**

**In-8°, pp. 32, L. 300 (\$ 0,50)**

In fasciculo, parato a « Consilio », orationis communis natura, momentum ac structura describuntur. Indicantur criteria ad eam parandam, et praebentur specimen, super quibus Commissiones liturgicae nationales confidere possunt schemata pro sua dicione.